150
A
14

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
A
4
POLI



CONSPECTVS SVPELLECTILIS EPISTOLICAE ET LITERARIAE MANV EXARATAE QVAE EXSTAT APVD JO. CHRISTOPHORVM WOLFIVM

PASTOREM AD D. CATHAR. HAMBVRGENSEM

OBSERVATIONIBVS VARIIS ET EPISTOLIS NONDVM EDITIS DISTINCTVS.

Accedit in calce
Clavis epistolarum *Philippi Melanchthonis* ad *Joach. Camerarium*
&
Index epistolarum B. *Lutheri* Latinarum, tum editarum omnium, tum aliqvot ἀνεκδότων.

HAMBVRGI
SVMTIBVS FELGINE[illegible]ANIS
AN. CIↃ IↃCC XXXVI.

VA1 150524

VIRO
GENEROSISSIMO DOCTISSIMO-
QVE
DOMINO
JO. FRIDERICO AB
VFFENBACH
S. CAESAREAE MAIESTATI
A TORMENTIS BELLICIS
ET REIPVBLICAE PATRIAE
ORNAMENTO
SINGVLARI
ERVDITAE ELEGANTIAE
QVAM VVLTV INGENIO MORIBVS
MVSEO ITEM LOCVPLETISSIMO
REPRAESENTAT
PATRI ET PROMOCONDO
GRATVM ANIMVM
CVM PRO BENEVOLENTIA INSIGNI
QVAM SEX ABHINC ANNOS PRAE-
SENS
EXPERTVS EST
TVM PRO NAVATA SIBI
IN COMPARANDA HAC OLIM
FRATERNA SVPELLECTILE
OPERA TESTATVRVS
INDICEM HVNC LVBENS MERI-
TOQVE
OFFERT

ET PRAETER DIVINI
NVMINIS GRATIAM
SPLENDIDISSIMAE GENTIS INCRE-
MENTVM
ET INCOLVMITATEM
PROSPEROS CONSILIORVM SVC-
CESSVS
ET INPRIMIS
OTIVM LIBERALE
AD EDENDAS ITINERIS LITERARII
QVOD CVM FRATRE OPTIMO

ZACHAR. CONRADO

FELICITER QVONDAM OBIIT
DELICIAS
EX ANIMO
PRECATVR

JO. CHRISTOPH. WOLFIVS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Habes heic, Benevole LECTOR, enarrationem ſupellectilis meæ epiſtolicæ & literariæ manu exaratæ. Eam magno ſtudio, nec minore ſumtu, ſuam olim fecerat Illuſtris ZACHARIAS CONRADVS ab VFFENBACH, Vir non minus de Republica literaria, qvam patria, Francofurtenſi ad Mœnum, cui cum Conſulis auctoritate præerat, egregie promeritus. De cujus ego Viri dotibus, doctrina & virtutibus, nominatim incredibili

induſtria, & incomparabili eruditorum virorum conatus provehendi facilitate, qvam ipſe ego cum pluribus aliis expertus didici, plura dicerem, niſi hac opera me rectius defuncturum eſſe ſcirem Rever. & Celeberrimum *Jo. Georgium Schellhornium*, cui Vitam Viri Optimi inpoſterum debebimus. *VFFENBACHIO* itaqve præmaturis fatis, anno CIↃ IↃCC XXXIV. ineunte, ad meliora translato, ab heredibus ejus, annitente inprims Generoſiſſ. *Jo. Friderico ab Vffenbach*, fratre τȣ̃ μακαρίτȣ elegantisſimo, mihiqve amicisſimo, apparatum hunc fere omnem, ſi viginti circiter utriusqve collectionis & formæ volumina, qvæ jam ante comparaveram, exceperis, ſuperiore anno redemi, eo inprimis conſilio, ne vel tineis blattisqve cederet, vel fortaſſe in eorum incideret manus, qvi nec uti illo ipſi vellent, nec alios uti paterentur. Poſtqvam vero meum feci, de eo mature

ture cogitandum esse putavi, ut ad plurium notitiam perveniret. Cum enim per alia, qvæ agenda mihi sunt, illum in usum convertere non satis possim, publici egregii interest, ut partiar operam, & aliis mea libenter, imo alacriter, impertiar, qvi apparatu hoc *recte uti* didicerint. Hunc vero rectum usum appello, qvi non ad lacerandam defunctorum memoriam, aut lædendam superstitum famam, qvod utrumqve epistolarum ἀνεκδότων ope fieri freqventer solet, sed ad locupletandas artium scientiarumqve copias, refertur.

De Apparatu ipso generatim sic habeto. Pleraqve volumina, nitide compacta, constant epistolis αὐτογράφοις, iisqve maximam partem ἀνεκδότοις. Illæ tamen B. MART. LVTHERI, PHILIPPI MELANCHTHONIS, iisqve æqvalium, si nonnullas exceperis,

a vetere & coaeva fere manu deſcriptæ ſunt. Nonnulla volumina *Vffenbachius* ex ἀυτογεάφοις diligenter deſcribi recens curavit, interdum etiam ἀπόγεαφα cum illis, repetita induſtria, contulit. Inter argumenti *Theologici* epiſtolas illæ eminent, qvæ ex noſtratibus ad *Hartmann. Beyerum*, *Henr. Hæpfnerum*, *Chriſtian. Kortholtum*, *Conr. Lælium*, *Jo. Henr. Majum*, *Chriſtophorum*, *Joannem*, & *Joan. Chriſtoph. Meelführeros*, *Balthaſ. Meiſnerum*, *Jo. Pappum*, *Jo. Saubertum* & *Jo. Schmidium*; ex Reformatis vero ad *Ammianos*, Helvetos, & *Jo. Jacobum Grynæum*, magno numero datæ ſunt. *Hiſtorica* & *Politica* argumenta illuſtrant inprimis illæ, qvæ ad *Berneggerum*, *Bæclerum*, *Bongarſium*, *Hortlederum*, *Imboſium*, *Lingelsheimium*, Comitem, *Pruſchenckium*, Marchionem *de Rochegude*, *Caſp. Sagittarium*, & *B. G. Struvium* exaratæ exſtant. Ad *Philologiæ* & elegantiorum literarum circulos referes epiſtolas

las, ad laudatum modo *Boeclerum*, *C. S. Curionem*, *J. G. Herrichenium*, *Jo. Pet. Lotichium*, *Pet. Lotichium*, & *Pet. Lotichium*, *Secundum*, tum vero ad *Jo. Burchard. Majum*, *Jo. Henric. Majum*, filium, *Rud. Martin. Meelführerum*, *Jo. Meurſium*, *Steph. Vinand. Pighium* & *Conr. Rittershuſium* ſcriptas. Numerus epiſtolarum omnium a triginta millibus prope abeſt.

In enarrandis Voluminibus his ita verſatus ſum. Computato epiſtolarum, qvæ ſingulis continentur, numero, potiores eorum (omnes enim recitare nunc multitudo, nunc nonnullorum obſcuritas vetabat) appellavi, ad qvos, vel a qvibus ſcriptæ ſunt, addito etiam interdum ſcriptionis argumento. Ne vero aridior & inanior evaderet nudi indicis lectio, nunc obſervationes qvasdam, potisſimum literarias, adſperſi, nunc epiſtolas integras, adhuc ἀνεκδότους, qvæ dignæ memoria videbantur, deſcripſi. Harum

habes circiter octoginta. Nonnunqvam selectiora qvædam ex illis excerpsi. Idem qvod ad volumina nonnulla jam ante me diligentissimus *Christoph. Augustus Heumannus*, cui ea evolvenda concesserat ὁ μαχαίτης, in *Poecile* sua eximia, ad qvam subinde provocavi, præstitit; nec minus laudatus modo *Schellhornius* in *Amoenitatibus Literariis* vere talibus, v. c. Tom. VI. ubi & in annotatione p. 508. supellectilem hanc *thesaurum Regibus invidendum* appellat. Taceo, nonnullas epistolas a τῷ μαχαίτῃ cum venerandis *Relationum Theologicarum Innoxiarum* Auctoribus communicatas esse. Earum sex legis an. 1715. p. 406. sqq.

Miraberis fortasse, nullas in his epistolas, si, qvas ad me olim freqventes dedit, exceperis, heic exstare, qvas *Uffenbachius* ipse vel ab aliis accepit, vel ad alios scripsit, cum constet, neminem

minem fortaſſe in fovendo literarum cum eruditis commercio alacriorem illo exſtitiſſe. Noris itaqve, τὸν μακαρίτην brevi ante obitum volumina ſpiſſa & bene multa epiſtolarum ejusmodi mutuarum Rev. *Schellhornio* ea lege donaſſe, ut iis ad conſignandam Vitam ſuam aliqvando uteretur. Hoc ex *Schellhornianis* ad me literis didici. *Duodecim* erant volumina jam anno 1727. qvo Tomus VI. *Amoenitatum Literariarum* lucem adſpiciebat, procul dubio poſtea aliis nonnullis aucta. Vide ibi notam marginalem p. 508.

De *Apparatu Literario* & *Librario*, cujus maximam partem itidem forulis *Vffenbachianis* debeo, non eſt, qvod multa dicam. Conſpectus ejus Te facile docebit, talia heic exhiberi, qvæ ad notitiam librorum, eruditorum Virorum, Bibliothecarum, Academiarum &c. pertinent.

Sub-

Subjunxi his *Clavem* epiſtolarum *Philippi Melanchthonis* ad *Joachimum Camerarium*, de qva monui p. 341. Digna illa mihi viſa eſt, qvæ lucem videret. *Melanchthon* enim freqventer nomina virorum & locorum ſubindicat potius, qvam diſerte exprimit, argumenta vero ipſa ſine interiore notitia περικειμένων qvorundam vix intelligi posſunt. Huic itaqve incommodo Clavi illa utplurimum conſulitur. Ab ipſo *Camerario* eam, qvod *Immanuel Weberus*, vir doctus, tradebat, profectam eſſe non crediderim, ob cauſas, qvas l. c. expoſui. Deberi eam potius ſuſpicor viro docto, Reformatorum partibus addicto, ſed *Camerario* olim familiari, qvi inclinante Sæc. XVI. vixerit. Hoc obſervationes nonnullæ ad oculum oſtendere videntur.

Accedit deniqve *Index* epiſtolarum B. *Lutheri* Latinarum, qvod ad ſingula-

gularum initia, tum, qvæ editæ proſtant, tum, qvæ a me ἀνέκδοτοι ſervantur. Has aſterisco notavi; illas munivi indicio Collectionum, vel aliorum librorum, in qvibus inveniuntur. Hac opera gratum me facturum credidi illis, qvi ſæpe ſolliciti qværunt, utrum hæc, illa, *Lutheri* epiſtola inter editas numeranda ſit, an minus. De eo enim cum adhuc difficulter conſtare potuerit, factum eſt, ut nonnullæ, in ipſa etiam *Aurifabri* collectione, excuſæ ſint, qvæ alibi comparuerant. Ita Tom. II. Collectionis *Aurifabri* ep. CLXI. non diverſa eſt ab illa, qvam legis Vol. I. ep. CLXVIII. Mitto exempla alia. Indicis hujus beneficio fieri poteſt, ut aliqvando omnes Herois noſtri epiſtolæ accuratiores, emendatiores & pleniores in lucem proferantur. Hoc ut deſtinarunt multi, ita, ut fieret, optarunt plures. Nec ipſe me ab hoc inſtituto alienum pro-

profiteor, modo Bibliopolarum moroſior difficultas non obſtet. Latinas deſcriptas habeo ducentas amplius, qvarum centum circiter ſunt ἀνέκδοτοι. Qvæ vero editæ ſunt, ex meis exemplis pasſim emendari poſſe expertus novi. Eſt mihi qvoqve ad manus ſimilis Index epiſtolarum *Lutheri* Germanicarum, tum editarum, tum, qvas habeo, non editarum, qvem alia occaſione, & fortaſſe una cum Centuria epiſtolarum Latinarum, qvam modo dixi, qvamqve prelo paratam habeo, exhibebo. Hæc hactenus. Vale in DOMINO; qvem precor, faxit, ut ſtudium meum qvalecunqve in Nominis ſui gloriam & literarum incrementum vergat. Dabam Hamburgi Idib. April. An. CIↃIↃCCXXXVI.

INDEX

n mo-
Lati-
nplius,
éxdoro.
exem-
pertus
us fi-
Ger-
, qvas
a oc-
nturia
modo
abeo,
e in
:, ut
omi-
acre-
urgi

EX

INDEX EPISTOLARUM MSS. IN FOLII FORMA.

Vol. I.

Exhibet epiſtolas CXXII. autographas interqve has *Sebaſtiani Hofmeiſteri* ad Mart. Lutherum n. 1. *Jo. Sapidi* n. 2. *Caroli Roſe*, 3. *Joh. Latomi* 4. *Monachi Salzenſis teſtimonium* de *Iltenio*. 5. *Mart. Lutheri*, n. 6. αὐτόγραφον unam, cum octo aliis apographis, partem Latinis, partem Germanicis. *Phil. Melanchthonis* tres n. 7. 8. & n. 58. *Franc. Lamberti* n. 9. *Joach. Camerarii* 10. *Joh. Oecolampadii* 11. & 17. *Mart. Buceri* n. 12. 20. & 46. *Caſp. Schwenckfeldii* 14. *Juſti Jonæ* 15. 22. 23. 24. 27. 29. & 64. *Ottonis à Park* 16. *Jo. Pomerani* 18. *Frider. Myconii* 19. ubi de Iltenio, & III. *S. Muſæi* 21. *Andreæ Oſiandri* 25. *Urbani Regii* 26. *Jo. Brentii* 28. & 50. *Eobani Heſſi* 30. *Leonh. Munſor.* 31 & 79. ubi eiusdem epiſtolæ eſt apographum. *Laur. Zech.* 32. *Apellis* 33. *Alberti, Marchionis Pruſſ.* 34. & 57. *Jo. Draconitæ*, 35. *Ant. Corvini*, 36. *Theobaldi Nigri*, 36. b. *Joachimi*, Principis Anhaltini 37. *Jo. Forſteri*, 38. *Eraſmi Roterodami*, 39. *Nic. Amsdorfii*, n. 40. *Joh. Danthell*, (ſiquidem

impeditam ſcripturam recte ſum adſecutus) 41. *Bernhardi Mithobii* 42. *Joh. Wilhelmi*, Ducis Saxoniæ. 43. *Dorotheæ*, Comit. Mansfeld. 44. german. *Alexandri Aleſii*. 45. *Georgii*, Principis Anhaltini 47. *Joach. Moerlini*. 48. *Joh. Sleidani*. 49. *Matthiæ Elbingenſis* 51. *Pet. Hegemanni* 52. 94. & 95. *Georg. Venediger*. 53. *Jo. Calvini*. 54. *Mauritii Holing*. 55. 56. 66. & 87. *Jo. Friderici*, Ducis Saxoniæ ad Melanchthonem, cum hujus reſponſione. *Nicol. Galli* 59. 60. 65. 66. 77. 78. & 80. *Jac d Schwein*. 61. 75. 81. & 120. *Huldrici Schlumpf*. 62. *A. Othonis*. 63. *Senatus Ratisbonenſis*, ad Flacium 65. *Caſp. Peuceri* 67. 69. 70. 72. 86. 100 usque ad 109. *Caſpar. Crucigeri*. 71. *Davidis Voit* tres 73. a. b. c. & mox 112-115. *Valent. Fidleri* 74. *Euſebii Menii* 76. *Joh. Kittelii*. 82 & 88. *Abrah. Rockenbach* 83. *Georg. Schaleſtini* 84. *Pauli Eberi* 85. *Steph. Agricolæ*. 89. *Joh. Gigantis*. 90. *Joh. Wieri*. 91. *Juſti Menii*. 92. *Joh. Funccii*. 93 & 110. *Anonymi*. 96. *Viti Dieterich* binæ, *Latina* altera ad Lutherum, *German.* altera ad ejus conjugem n. 97. a. b. *Roberti Barns*. 98. *Matthæi Cantuarienſis*. 99. *Wolfgangi Capitonis*. 116. 117. Fragmentum epiſtolæ *Joh. Cornarii* de *Iltenio* Monacho. 118. *Chriſtiani Pannonii* 129, *Anonymi* 121. *Philippi Galli* 122.

Volumen hoc olim fuit *B. Joh. Frider. Mayeri*, Theologi denique Gryphiswaldenſis meritiſſimi, cui in deliciis fuiſſe probe recordor. Vide Catalogum Bibliothecæ

ejus

ejus p. 726. n. II. ubi epistolas Theologorum 68. inde à Lutheri usque ad Crypto Calvinistarum Wittebergensium ætatem, & ex posterioribus qvidem illis, quindecim Peuceri, item *Casp. Crucigeri* & *P. Eberi* aliquot complecti dicitur. Numerus epistolarum omnium centum & triginta conficit, si *Lutheri* & aliorum aliquot, qvæ recenti manu sunt descriptæ ad calculum voces. Multæ epistolæ B. Luthero sunt inscriptæ.

Illa Lutheri *αὐτόγραφος* n. 6. ad *Stephanum Roth* data, maximam partem cum illa, quæ Tom. II. epistolarum à *Jo. Aurifabro* collectarum p. 373. legitur consentit, passim tamen, etiam non sine sensus varietate, variat. Itaque consultum videtur eam integram ex *αὐτογράφῳ* adponere.

Gratiam & pacem in Domino. Inobedientia uxoris, mi Stephane, mihi satis displicet. Deinde & tibi incipio subirasci, quod mollitia animi tui, non conservitute Christiana, qua illi debebas prodesse, tyrannidem ei parasti ac hactenus aluisti, ut jam tua quoque culpa esse videatur, quod illa sic audet in te omnia. Certe quando sentiebas, asinum pabulo lascivire, h. e. uxorem indulgentia & obsequio tuo fieri deteriorem, debuisses cogitare, te deo oportere plus obedire, quam uxori, i. e. ne ei permitteres auctoritatem maritalem, quæ est gloria Dei, ut Paulus ait, ab ipsa contemni & conculcari. Satis enim est catenus exi-

nanire gloriam Dei, ut ſervi formam accipiat, ſed nimium eſt, eam prorſus tolli & exſtingui. Proinde vide, ut vir ſis, & infirmitatem uxoris ſic feras, ne malitiam foveas, &, dum ſervis nimium, gloriam Dei, quæ in te eſt, inhonores, exemplo ſatis periculoſo. Facile eſt autem diſcernere, infirmitas ſit, an malitia. Si infirmitas, ipſa feratur, ſi malitia autem, coërceatur. Infirmitas ſecum habet promtitudinem diſcendi & audiendi, ſaltem ſemel in horis duodecim. Malitia autem pertinaciam habet reſiſtendi & perſeverandi. Ubi ipſa intelliget, malitiam pro infirmitate a te intelligi, quid mirum, ſi peſſima fiat? Etiam tua culpa Satanæ feneſtram aperis in miſero vaſculo, pro ſua libidine, te irridendi & incitandi, & omnibus modis vexandi. Tibi certe & illi conſultum, ac Diabolo repugnatum velim. Vale. D. Mart. Luth.

Conferri cum hac poterit illa Lutheri, *Germanice* ad Anonymum de eodem argumento, & iisdem fere verbis ſcripta, quæ exſtat Tomo IV. *Jenenſi* p. 335. & Tom. IV. *Altenburgenſi* p. 414. nec non in Eclogis Evangelicis B. J. F. Mayeri, a Vener. *Erdmanno Neumeiſtero* noſtro, Collega amicisſimo, nuper optimo conſilio recenſitis & locupletatis, Parte II. p. 85. ſq. Ibi ὁ μαχαιρίτης ad Latinam hanc epiſtolam provocat, cujus αὐτόγραφον ex hereditate paterna acceperit, ipſum hoc volumen, qvod nunc deſcribo, reſpiciens.

Georg

Georg. Venediger, cujus n. 53. exſtat epiſtola, an. 1553. d. 7. Maj. ad *Sigismundum* quendam data, eſt *Georg Venetus*, Epiſcopus tandem in Borusſia Pomeſanienſis, a pago *Venedig*, duobus a *Liebemühl* milliaribus Germanicis ſito, Patre viro nobili, nomenqve à pago, qvem inhabitabat, von Venediger tenente, natus! Vide vitam ejus à *Wigando* ſcriptam, quam legis in *Actis Borusſicis*, Eccleſiaſticis, civilibus & literariis Tom. III. p. 383. Ejusdem tres epiſtolæ ad *Joach. Mörlinum* ſcriptæ leguntur in iisdem Actis Tom. I. p. 561. 568. & 583. In noſtra hac epiſtola, inter cetera nunciatur, *Oſiandrinos canere carmen illud Jer.* XVIII. deſperavimus; poſt cogitationes cordis ibimus &c.

Georgium Schaleſtinum, cujus eſt epiſtola 84. ad *Matthiam Stoium*, Medic. & Philoſoph. Profeſſorem Regiomontanum, Roſtochii an. 1569. ſcripta, ſuſpicabar primum, *Georgium* illum *Cæleſtinum*, auctorem Hiſtoriæ Auguſt. Confeſſionis, eſſe. Lecta vero epiſtola ipſa, in qua ſtipendium auctius a Principe ſibi ad provehenda literarum ſtudia exorari cupit, habita quoque temporum ratione, falſum me fuiſſe intellexi, fruſtraque fui, ubi, quis ille *Schaleſtinus* fuerit, curate inqviſivi. Fieri tamen poteſt, ut *Schaleſtini* illud nomen familiæ alicui proprium olim fuerit, quod

ab aliis in *Cœleſtini* illud ad vitandam κακοφωνίαν ſit mutatum. Ita fuit, qvi *Georgium Cœleſtinum* illum *Sceleſtinum* appellaret. Lege B. *Ioh. Fechtii* Epiſtolas Marbachianas p. 593.

Digna porro eſt, qvæ integra hic legatur, *Matthæi Cantuarienſis* n. 99. Scripta illa eſt à *Matthæo Parkero*, Archiepiſc. Cantuarienſi, an. 1575. defuncto, ad *Matth. Flacium Illyricam*, *Io. Wigandum*, & *Matth. Iudicem*, ſine anni indicio, d. 18. Julii, ex qva intelligas licet, qvid vir magnus de doctrina inter nos repurgata, & vigentibus tunc inter Theologos controverſiis, ſenſerit. En tibi illam.

Perquam mihi grata eſt, (religioſi viri) hæc pia humanitas veſtra, qva redditi mihi ſunt nuper à vobis per fidum qvendam nuntium commentarii veſtri, unde faciliorem mihi veſtro nomine dediſtis defenſionem: ſiqvi poſthac falſo doctrinam, qvam profitemini, calumniabuntur. Qvam qvidem doctrinam & fidem Veſtram, qvomodocunqve ex parte cunctis non placet: tamen aperte profiteor, ingenue vos ſincereqve feciſſe, qvod tam plene, tam cumulate, tam ſine omni fuco & ambiguitate mentem & ſententiam veſtram indicaſtis. Qvibus tamen opinionibus veſtris diligenter conſideratis, non, poſſum non dolere, qvod aliqva ſit in præcipuis religionis controverſiis inter nos diſſenſio, utrosqve præſertim inſtructos una Scripturæ regula, uno etiam animi ardore ductos,

& reſtituendi veritatem, & è finibus Chriſti eccleſiæ quam procul exterminandi omnem errorem & mendacium. O quanta hic occaſio lapſus præbetur bonis! quantum hic probriis & maledictis ab hoſtibus vexatur ipſa Evangelii reſtitutio! Vtinam quidem alter alteri, ſedatis affectibus, patienter, magis & attente auſcultare vellet, & neuter ita faveret ſententiæ, ut faceret hanc publicam religionis cauſam, materiem gloriæ, ambitionis, diſſenſionis! Qvod ad præcipuam illam cauſam attinet, ob qvam venit domeſticus veſter tabellarius, ad vos ſcilicet deferendi cauſa ejusmodi veterum commentarios, qvales obtinere a nobis ſperaviſtis: cognoſcite, qvo diligentior fui, ut deſyderio veſtro hac ex parte plene ſatisfacerem: vel potius, ut laborem, qvem ad magnum univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ commodum ſumitis, juvarem: eo infœlicius mihi res ex animi mei ſententia adhuc ſucceſſit: & ubi repoſueram maximam ſpem nanciſcendi, qvod cuperem, ibi jam omni prorſus ſpe privor. Atqvi poſteaqvam plurimos plurimis & locis & viris fruſtra miſiſſem nuntios, tandem animarer ad recuperandum D. Balei libros, qvos (ut dicebatur) ſpes eſſet acqvirendi, ſi periculum ipſe facerem: didici igitur tandem, inqviſitione facta, ad cujus manus poſt ejus fugam ex Hybernia hi pervenere. Qvorum cum ingens acervus ad me perferebatur, reperi haud dubie nullos meæ ſententiæ, vel dignos vetuſtate, vel argumenti ad veſtrum inſtitutum commodi ac utilis. Qvos tamen cum vidiſſet veſter Nigerus, una cum meis & aliorum

orum complures, multum juvare posse dicebat. Habet igitur hac conditione, ut intra annum transmittantur. Qvod si sit apud vos nostræ nationis scriptorum tam locuples qvasi instrumentum & apparatus, qvam mentio fit in vestro catalogo: arbitror, superesse vobis multo plures, de nostris qvam sint rursus in toto Angliæ regno, qvorum sit apud nos certa intelligentia atqve cognitio: sive hoc sit, qvod qvidam volunt gratificari vobis in hoc utili conatu, & ex privata qvadam offensione non respiciunt publicum Ecclesiæ bonum: sive qvod qvidam hæc se possidere neminem conscium esse velint. Atqve ita, ut canis in præsepi, nec ipsi fruuntur, nec ex his fructus ad alios redire sinunt. Regineæ porro Majestatis Bibliotheca non ea possidet, per qvæ hoc munus, qvod exigitur, præstare qveat: id qvod mihi retulit is, qvi illius curator & custos præficitur. Atqve ita se res habet, ut vestræ petitioni, sicuti vellem, non satisfaciam, licet, (priusqvam experientia eram edoctus) certo credidi, me vestram causam plus juvare potuisse. Cerie Academiæ, & qvæcunqve fuerunt religiosorum ædificia, prius diripiebantur, qvam animadvertebatur, qvantum incommodi rediturum esset ecclesiæ Christi ex hac librorum clandestina direptione & jactura. Papistæ autem nihil exhibebunt: penes qvos (fertur) cum essent hujusmodi monumenta, qvæ vel maximam doctrinæ suæ partem labefactarent, bonos qvosdam authores commisere igni, invidentes mundo horum inspectionem, id qvod mihi constat de Vigilii libris, qvibus sic abusi sunt.

Plura

Plura ſcripſiſſem de his rebus, & de hoc tam moleſto onere, attamen fructuoſo, qvod ſuſcipitis in componenda hac hiſtoria, niſi, qvod partim morbo, partim aliis rebus ſic impedior, ut his cogitationibus libere, qvod cuperem, vacare non concedatur. Sunt, qvi in hiſtoria veſtra authorum, qvorum vos nudam tantum commemorationem facitis, ipſa verba recitata eſſe deſydorant. Qood etſi in hiſtoria tam grandi ſit laborioſum, & viris multæ lectionis uſum non præbei; tamen initiatis non nihil lucis ſit allaturum, & contra maledicos magni etiam futurum momenti. Sed huic deinceps proſpicere ſit veſtræ prudentiæ cogitatio. Mitto vobis viginti angetatos (forte leg. *argentatos*) *ſignificationem grati mei erga vos animi, qvam boni conſulatis rogo. Interim precor ut adſit vobis Sanctus Dei Spiritus, perpetuus adiutor conatus veſtri. In Chriſto valete, 18. Julii. Croidoni.*

Hactenus epiſtola, librarii, ut puto, manu ſcripta, cui mox ipſius *Parkeri* manus hæc ſubſcripſit: *Veſtri ſtudioſus Matthæus Cantuar.* Cæterum mentio in his literis fit *commentariorum* ſibi transmiſſorum, qvi deinde *hiſtoriæ* nomine appellantur. Vtramqve vocem de *Centuriis Eccleſiaſticis* accipio, qvas *Flacium*, *Wigandum*, & *Matth. Judicem*, (qvibus hae literæ inſcriptæ ſunt,) inprimis adornaſſe conſtat. Nec fallar fortaſſe, ſi dixero, *commentarios* illos ad Parkerum cum literis miſſos eſſe eo tempore,

qvo *Centuria* IV, Eliſabethæ, Angliæ Reginæ, an. 1562. dedicata, eo mittebatur. Eo enim tempore *Parkerus* Primatem Angliæ agebat. Qvod vero ad monimenta veterem ſpectat, qvæ *Flacius*, cum ſodalibus reqviſivit, ea puto ad adornandum vel perficiendum Catalogum teſtium veritatis reqviſita fuiſſe. *Joh. Strypius* certe in vita & rebus geſtis *Matth. Parkeri*, anglice editis, p. 31. Appendicis adfert *Flacii* ad *Parkerum* epiſtolam, ut ad *Catalogum* illum perficiendum opem ſibi ferre velit. Compara Acta Eruditorum Lipſienſium an. 1712. p. 442.

Temperare mihi non poſſum, qvo minus heic deſcribam epiſtolam *Roberti Barns*, ſive *Barneſii*, qvæ αὐτόγραφος legitur n. 98. D. *Joh. Aepino* noſtro Hamburgum inſcripta his omnino verbis:

Qvod accuſas me ſuperbiæ, mi Aepine, injuſte facis. Scribebam tibi familiarius propter noſtram familiaritatem, ſed tu alio vertis. De rebus noſtris ex iſto intelliges verbis apertius, qvam ſcribere poſſum: huic indicavi omnia. Rogo te, ut qvam celeriter ſcribas ad Phylyppum meo nomine, ne huc veniat prius, qvam à me recipiat literas, nollem eum periclitari propter ſpem, qvam in me habet. Nam ego ipſe ſum deceptus: tantum rogabis eum, ne ullum verbum de me dicat. Ego mittam tibi unum nobilem, cui habebis fidem non minus, qvam mihi. Illi committam omnia.

Eſt

Est crudele certamen inter Episcopum Londinensem & me pro justificatione fidei, & pro Purgatorio. Ille affirmat, sanguinem Jesu Christi tantum purgare præterita peccata ante baptismum, sed, quæ commissa sunt postea, partim deleri meritis Christi, partim nostris satisfactionibus. Ad hoc dicit, opera voluntaria esse excellentiora operibus decalogi. De Purgatorio dicit: si mulier effecerit Missas celebrari, & eleemosynas dederit pro anima viri sui, potest audacter postulare in judicio Dei animam viri, & dicere, se solvisse pretium redemtionis suæ. Ego vero contra omnia ista, vindico sanguinem Domini mei Jesu Christi, & solus adhuc facio. Nam multi licet probant mea dicta, tamen nemo prodit, nisi Lathamerus. Tu audies, quorsum evadet ista pugna. Tantum scribito Præceptoribus meis, ut pro me orent. Saluta D. Pastorem S. Jacobi D. Dethlefum Geskinbuge, Abelke, Petrum Hesterbergh, Here Jochym molitorem, ac alios. Nulla conditio est mihi amplior, quam erat. Vale. Londini 21. Maji ex ædibus Thomæ Parnelli, cui mittes literas. Tuus ex animo R. B.

Postremas has literas R. B. vetus manus ita supplet: *Rob. Barns. Barnesius* hic illustris fuit inter Anglos veritatis testis, qvi ab Henrico VIII. Wittebergam missus, ibiqve convictu B. Lutheri usus, hinc vero in Angliam reversus, an. 1540. igne periit. Martyrii ejus historiam cum præfatione sua edidit Lutherus, qvæ hodienum Tomo

VII.

VII. Operum Altenburgenſium p. 422. ſqq. legitur. Adde *Gilberti Burneti* Hiſtoriam Reformationis Anglicanæ lib. II. Partis I. p. 164. ſq. verſionis Latinæ, ubi & mentio controverſiæ injicitur, qvæ ipſi cum Gardinero, Epiſcopo tunc Londinenſi, qvem *Barneſius* heic appellat, de Juſtificatione intercesſit. Hinc conjectura mihi naſcitur, epiſtolam hanc paulo ante triſtia viri fata, qvæ per ipſam illam controverſiam promota eſſe *Burnetus* teſtatur, ſcriptam fuiſſe. Adde *Seckendorfii* Commentar. de Lutheraniſmo lib. III. §. 39. p. 110. ſqq. In hac porro epiſtola Melanchthonis in Angliam iter disſvadetur, qvod & Lutherus disſvaſerat. Vide *Seckendorfium* l. c. §. 73. p. 226.

Vol. II.

Epiſtolas habet CXXVIII. apographas, qvas præſtantisſimi Theologi & Philologi Sæc. XVI. ad B. *Matthiam Ritterum*, Eccleſiaſten qvondam Francofurtenſem, ſcripſerunt. In his legis *Jac. Andreæ* epiſtolas ſeptem n. 51-57. *Lamb. Caleniі* 132-139. *Dav. Chytræi* 90-112. *Martini Cruſii* 58-89. *Conr. Daſypodii* 4-7. *Petri Daſypodii*, n. 8. a. b. & 9. qvarum duæ priores inſcriptæ ſunt *Juſtiniano ab Holtzhauſen*, urbis Francofurtenſis Conſulari, tertia vero *Rittero*: *Theophili Daſypodii* 10-19. *Duplerſeys*, 140-142.

142. *Matthiæ Flacii* 1-3. *Jac. Heerbrandi* 68. *Ægidii Hunnii* 141-228. *Jeremiæ*, Patriarchæ CPolitani ad Chytræum, 113. *Joan. Lundorpii*, 115-119. *Joan. Marbachii* 20-27. 29-32. *Philip. Marbachii* 28. *Lucæ Oſiandri* 126-131 partem Latinæ, partem Germanicæ: *Jo. Pappi* 33-50. *Petri Patientis*, 156-191. *Cyriaci Spangenbergii* 143. 144. *Simonis Sulceri* 145. & *Hieron. Wolfii* 120-125.

Matthias ille *Ritterus*, (*Matthiæ*, qvi *Luthero*, Romam proficiſcenti, comitem itineris ſe præſtitit, filius,) præconem veritatis ſalutaris Francofurti ad Moenum inde ab anno 1553. usque ad an. 1588. egit, & tum doctrinam puriorem, tum eruditorum virorum conatus hinc ſcriptis, hinc conſiliis egregie promovit. De eo nonulla leges in V. C. *Georg. Chriſtiani Johannis* præfatione ad XXVIII. epiſtolas *Mart. Chemnitii*, ad *Matthiam Ritterum* ſcriptas, qvas ex αὐτογεγράφοις una cum qvinqve ejusdem Chemnitii ad *Conr. Schluſſelburgium* epiſtolis, jam olim editis, Francofurti ad Moen. 1712. 8. in lucem protulit; plura vero in Rev. *Jo. Balthaſ. Ritteri* Evangeliſchen Denckmahl der Stadt Franckfurth p. 418 ſqq. in notis, qvi & p. 177. de *Rittero*, patre, diligenter commentatur.

Tres *Flacii* ad *Ritterum* epiſtolas, qvæ in hoc Volumine habentur, edidit nuper idem, *Jo. Balthaſar Ritterus*, Eccleſiaſtes Francofur-

cofurtenſis, in Vita *Matthiæ Flacii*, qvæ Francofurti ad Moenum auctior ſecundum prodiit an. 1715. p. 261. 290. ſqq. & 313. ſqq. In eadem exſtat & *Jac. Andreæ* illa de *Flacii* obitu p. 324. ſq. qvæ heic occurrit n. 51. *Dav. Chytræi* epiſtolæ ſunt duæ & viginti, qvarum nulla exſtat in Collectione epiſtolarum ejus egregia, Hanoviæ 1614. 8. curata, niſi qvod ibi Græca illa *Jeremiæ*, Patriarchæ CPolitani legitur p. 1063. Ceteræ omnes, qvod ſciam, adhuc ſunt *ἀνέκδοτοι*. Totum volumen bonæ frugis plenisſimum eſt, & ad Hiſtoriam illius ætatis Eccleſiaſticam pariter ac literariam egregie facit. Dolendum tamen eſt, apographa epiſtolarum frequenter mendis obſita eſſe, ſive id librarii negligentiæ, ſive impeditæ *αὐτογεάφων* ſcripturæ acceptum ferri debeat.

Speciminis loco deſcribam heic *Chytræi* epiſtolam ad *Ritterum* an. 1579. die Joannis Baptiſtæ datam, in hanc ſententiam.

Literas tuas, die Marci datas, una cum catalogis librorum, pro qvibus gratias reverenter ago, accepi. ANDREÆ POUCHENII reſponſionem contra Palmerium tibi ac Collegis gratam fuiſſe lator, ac optarim, Heidelbergæ & Argentinæ exempla diſtribui, ut antidoton aliqvod Anti Pappi illis Argentinenſibus opponi poſſet. D. Ciſnerus menſe Majo nullam adhuc Hiſtoriæ Confeſſio-

nis

mis exemplum acceperat : ſi oblivioni rem tradidit Feirabenius, verecunde cum moneri optarim: nam hic tabellarius Spiram ibit. Hiſtoriam Sacramentariam LAVATERI, & GEORG. CASSANDRI Conciliationes, ſeu moderationes Articulorum Auguſtanæ Confeſſionis, ſi vivam, proximis Nundinis a miniſtro Rhuelii, te monente, emi optarim. De Cæleſtini noſtri itinere, qvo totam Germaniam ſuperiori anno pervagatus eſt, Hodœporicon amplum, ab ipſius comitibus ſcriptum eſſe intellexi, cujus exempla qvædam Witteberga mihi miſſa ſunt, non admodum honorifica, qvæ communicare cum amicis poteris. Qvid iſthic apud Senatum egerit & obtinuerit, tu optime ſcies. Adverſus me λόγον ϛηλιτευτικὸν, qvem in Germania circumtulit, demtis verborum contumeliis editurus eſſe dicitur. Qvod Deo commendo.

De *Andr. Pouchenio*, cujus in hac epiſtola mentio eſt, ejusqve *ſcripto* 'Anti Palmeriano legesRev. *Phil. Julii Rehtmeyeri* Hiſtor. Eccleſiaſt. Brunſvicenſem in Addendis ad Part. I. p. 104. 112, ſq. item Part. III. p. 390. ſqq. nec non Celeber. *J. H. Seelenium* in Athenis Lubecenſ. Part. IV. p. 100.

Extractum ex Hodoeporico *D. Georg. Cæleſtini*, qvod cum hac epiſtola *Chytræus* Rittero miſit, totidem verbis exſtat inter epiſtolas ad *Marbachios* ſcriptas, & a B. *Jo. Fechtio*, ſub titulo Supplementi Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Seculi XVI. editas p. 593. ſqq.

De

De controverſiis, qvæ *Chytræo* cum *Cæleſtino* interceſſerunt, videbis *Chytræum* ipſum in epiſtolis p. 846. ſqq. & *Godofred. Arnoldum* in Hiſtoria Eccleſ. & Hæreſiologica Part. II. p. 101.

Jungam illi *Martini Cruſii* epiſtolam ad *Andr. Wechelum*, Typographum Francofurtenſem, Tubingæ 1580. 15. Decembr. exaratam:

Intellexi ex Rev. Eccleſiaſte veſtro, D. MATTHIA RITTERO, meo colendo fautore, tuam præſtantiam velle excudere compendium Græco-Latinum Heerbrandicum, qvod apud ipſum eſt, ſi ſtatim ab editione velim redimere 400. exemplaria. Id vero meæ facultatis non eſt, & doleo, me non poſſe utriqve noſtrum in hac parte ſuccurrere. Dolet & mihi vehementer, me tantos labores converſionis perdere, & (abſit opinio jactantiæ) tantam copiam ſelectiſſimæ orationis Græcæ perire: unde exemplum peti cum Græcis agendi & Theologica noſtri ſeculi Græce pure efferendi, poſſet. Multa enim ibi rara, qvæ neſciuntur forte, qvomodo efferenda eſſent ab aliis. Certe miraturi eſſent docti. Sed centum exemplaria ſtatim redimere velim, ſicut Dn. Rittero ſcripſi. Alios enim hic gravare, qvi in 400. redimendis ſocios præſtent, non poſſum. Sed profecto non eſt mihi dubium, qvin exemplaria vendibilia forent, ubi res aliqvantum innotuiſſet, ita ut ſatis brevi tempore diſtrahantur. Nam & noſtri hic Studioſi, Gruppenbachio adferente, emturi

turi essent. Quid de scholis Saxoniæ & in illo tractu dicam? Literæ ibi Græcæ passim docentur. Nundinæ vestræ quaqua versus opus dispersuræ essent. Ideo rogo etiam ipse, quantum possum, præstantiam tuam, ut excudat, & quidem quacunque magnitudine seu forma voluerit. Tunc accipiam centum exemplaria, statim pecuniam curaturus. Ut autem libentius facias, mittam, ea conditione, non multo post tibi excudendum opus, quod maxime vendibile erit (quia plane novum) cum adeo vendibilis sit D. CHYTRÆI de rebus Orientalibus libellus, ut & hoc anno & Rostochii excusus sit, & Witenbergæ, & apud te. Hic meus liber magnitudine compendium Heerbrandicum Græco-Latinum adæquabit. In quo ordine hæc erunt Græce, cum mea Latina conversione, e regione. 1) Historia Politica Turcica & Græca ab anno 1391. usque ad præsens tempus, ubi etiam de Patriarchis Constantinopoleos adspersum erit. 2) Historia Barbaro-Græca Ecclesiast. & omnium Patriarcharum, qui CPoli a tempore amissæ urbis sederunt usque ad præsentem Patriarcham METROPHANEM. 3) Epistolæ meæ ad Græcos Byzantinos, & horum ad me pure Græce. 4) Epistolæ clarorum Græcorum hodiernorum inter se, quarum quædam Barbaro-Græcæ, quædam puræ, quædam partim Barbaro-Græcæ, qui vocatur Ecclesiasticus stylus, scriptæ omnes partim in insulis Græcis, partim in celebribus Græciæ urbibus. His & alias addam, Venetiis & aliunde ad me scriptas. Item carmina varia, ubi

multa eodem ſpectantia. Haec, qvæ jam recenſui, pleraqve omnia è CPoli mea pecunia nactus ſum, ſcribens Patriarchæ, & præcipuis apud eum Viris. Hæc omnia ſcholiis meis, variam & multiplicem hiſtoriam continentibus, illuſtro è Græcis, Latinis, Italicis & Gallicis Germanicisqve Scriptoribus. Numeros annorum & auctorum nomina, præſertim chari mei STEPHANI GERLACHII, addo. Patebit totus Græciæ hodiernæ ſtatus, & varia hiſtoria, moresqve Græcorum ac Turcarum. Ergo, Clariſſ. Vir, fac, qvæ peto: te non poenitebit. Nunc totus in hoc opere conficiendo ſum, parte bona jam confecta. Vale, & me commendatum habere dignare. Habeo bonam in te ſpem. Si feceris, mone in tempore, ut Heerbrandus & ego præfationes (Patriarchica etiam epiſtola, minimum una, addita) mittamus. Cuidam autem Principi dedicabo.

Ex hac epiſtola, & nonnullis ſeqventibus apparet, qvanto labore & ſumtu qvoqve optimo *Cruſio* conſtiterint ea, qvæ idem ad juvandam Eccleſiam Græcam, & Græciæ recentioris res illuſtrandas præclaro conſilio edidit. Qvod ad *Heerbrandi* Compendium Theologicum, Græce converſum, attinet, rem vel ſic non perſuaſit WecheloCruſius, deſtinatis tamen ſuis non prorſus frúſtratus, qvandoqvidem idem illud Wittenbergæ an. 1582. in 4. lucem adſpexit. Conf. *Bibliothecam Reimannianam* p. 452.

Finem

Finem faciat *Hieron. Wolfii*, viri omnio boni, & de literis melioribus meritiſſimi, epiſtola, Aug. Vindelic. 1576. Kal. Sept. ad *Ritterum* ſcripta, ex qva inter cetera ejus corporis amimiqve indoles perſpicitur.

Cum D. Stengelius, præclare de tua & eruditione & religione, ſentiens, nuper ultro mihi ſuam in reddendis literis operam detuliſſet, non committendum mihi eſſe duxi, ut eam ad te ſcribendi occaſionem prætermitterem. Etſi enim nihil ſcriptione magnopere dignum habeo: tamen pro vetere noſtra familiaritate & mihi jucundum eſt, res tuas ſecundas audire, nec te, meas qualescunqve cognoſcere, moleſtum eſſe tibi arbitror. Scito igitur, me ab eo tempore, qvo poſtremo iſtic tecum fui, anno 65. fere perpetuo adverſa valetudine eſſe conflictatum, donec anno ſuperiori poſt intolerabiles cruciatus, exſectus mihi è vefica eſt lapis magnitudine ovi, pondere duarum unciarum. Poſt illam carnificinam in hunc usqve diem nunqvam decubui, ſed compluribus incommodis valetudinis perpetuo conflictor, non ſine metu & periculo veteris mali recrudeſcentis, ſed tamen exacto jam ætatis anno 60. qvicqvid erit, diuturnum eſſe non poterit: & Deum ſpero in ærumnis mihi affuturum. Cætera mediocria ſunt, & ejusmodi, ut ab homine philoſopho, multa diſſimulante, at ea, qvæ mutari nequeunt, in optimam partem accipiente, ferri poſſit. Unum illud moleſtum eſt, qvod infirmitas memoriæ cupiditati

varia legendi meæ non ſuffragatur, & tamen perpetua lectione, (qvi ſcopus ab ineunte ætate propoſitus mihi fuit, nullam alium ſtudiorum fructum deſideranti) ſi non multum proficio at tempus fallo, & id conſeqvor, ne eorum, qvæ ante hac & legi, & didici, prorſus obliviſcar. Typographis autem navare operam deſtiti, vel ab eis potius ipſe ſum deſtitutus. Habeo enim qvaedam ſcholaſtica opuſcula, utcunqve conſarcinata, & fortaſſe ſtudioſis adoleſcentibus profutura, qvæ Baſilienſes mihi remiſerunt, alii aliud cauſati, cum antehac meæ lucubrationes fuerint illis πεϱιμάχητοι. Eandem fortunam & in familiaritatibus Procerum hujus urbis experior. Sed hæc eo ſe melius habent, qvod & ſine Proceribus & absqve Typographis Dei benignitate beato mihi eſſe licet, plura non reqvirenti. & eos, à qvibus negligor, viciſſim contemnenti. Habes, mi D. Matthia, de me. Tua in optimo loco eſſe gaudeo, idqve unum abs te peto, ut in amicis tuis perpetuo me habere, & precibus Deo commendare non dedigneris.

Idem in epiſtola an. 1578. Idibus Auguſtis, (qvo die ſe annum ætatis 63. attigiſſe ſcribit,) de frigentibus, per ætatem & Typographos, ſtudiis valde qveritur, ſucceſivis tamen horis commentariolum ἀϕοϱμητικὸν in Tuſculanas, auditoribus abhinc qvinqvennium dictatum, tanqvam editione non indignum, corrigere & locupletare. *Sed ego* (ita pergit) *ſuperbia qvadam,*

dam Grammatica Typographis, Grammaticorum miniſtris, ſupplex eſſe dedignor; cum antehac meas lucubrationes non ſecus ac proci dotatam puellam ambierint. Prodierunt tamen notæ illæ & aphoriſmi in Tuſculan. Baſilcæ an. 1580. qvi idem Wolfio cœlibi die 8 Octobr. vivendi finem fecit. Mirum eſt, illum, cum variis corporis animique incommodis laboribus item Scholaſticis, iisqve moleſtis magis qvam fructuoſis, conflictatum, tot & tam præclaris ſcriptis rem literarum publicam juvare potuiſſe.

Vol. III.

Epiſtolas ſiſtit CVII. *Petri Patientis* ad eundem *Matthiam Ritterum* ſcriptas; præterea vero nonnulla ex poſtſcriptis ejusdem ad D. I. Fichardum n. 108. tum epiſtolam ejus Germanicam ad *Jo. Mart. Jægerum* n. 109. porro *Sal. Frenzelii* ad Ritterum ep. cum epitaphio ejusdem in *Pet. Patientem* metrico, n. 110. deniqve *Jo. Kenceri* unam ad *Ritterum* Kal. Octobr. 1579. datam. Epiſtolæ ipſæ inde ab an. 1558. usqve ad 1584. qvo vir optimus obiit, ſcriptæ ſunt, qvas αὐτογράφους ſervat Rev. *Jo. Matthias Ritterus*, Paſtor Francofurtenſis, *Matthiæ* Trinepos, unde has deſcribi curavit *Zach. Conr. ab Uffenbach*, ὁ μακαρίτης. Nonnullæ illarum, qvas in ſuperiori volumine exſtare dixi, etiam hic occurrunt. *Petrus Patiens*, alias

Gedult appellatus, Herrenrodenſis fuit, variisqve in locis, doctrinæ ſalutaris curſum, multis exantlatis moleſtiis, promovit. Primum enim Landaviæ an. 1558. verbi divini Miniſter conſtitutus fuit, inde an. 1577. Francofurtum ad Mœnum Paſtorem, defunctoqve *Hartmanno Beyero* Miniſterii Seniorem egit, tandem autem ab Electore Palatino Heidelbergam vocatus, Doctorisqve Theologi dignitatem adeptus, Profeſſor Academiæ & Antiſtes Eccleſiarum generalis renunciatus eſt, donec an. 1583. mortuo Electore, & Calvinismo in Eccleſias illas revocato, de provincia illa deceſſit. Vide huc B. *Fechtii* Apparatum ad epiſtolas Marbachianas p. 143. ubi præterea traditur, eundem an. 1583. Heidelberga ejectum privatam vitam Francofurti egiſſe ibiqve an. 1584. 19. Septembr. diem obiiſſe. At enim vero inter illas ad *Ritterum* epiſtolas aliqvot exſtant Heidelbergæ ipſo illo an. 1584. datæ, qvarum ultima diem 3. Martii præfert. Ex qvo recte collegeris, virum optimum, qvamvis munere vacuum Heidelbergæ adhuc hæſiſſe, nec ſtatim inde ſibi diſcedendum putaſſe. Atqve ita ſtatuit ex conſilio *Oſiandri*, qvod profitetur in epiſtola Kal. Februar. an. 1584. data, his omnino verbis: *Simul vehementer idem Dn. Doctor hoc expetit, ac monet, ut non longius hinc diſcedam. Sperat enim, & fere polli-*

pollicetur omnium apud Vos rerum in integrum restitutionem. Verum hæc ἐν γόνασι θεῶν κεῖται. Solatur autem me in hisce miseriis multum bonitas causæ, non nostræ, sed Christi, conscientiæ integritas, adversariorum nimia insolentia & crudelitas, & piorum multorum erga nos commiseratio, & preces ad Deum pro nobis. In ejusdem epistolæ calce hæc qvoqve legas: *Ne Ecclesiam hanc neglexisse & me periculo subtraxisse videar, statui in manus sumere cum Deo Opus Concordantiarum Græcarum, ad qvas ita iam instructus sum, ut in promtu habeam omnia & singula vocabula cum denotatione omnium locorum* &c. Id tamen certum est, Patientem mense Martio an. 1584. supellectilem suam Francofurtum deportari curasse. Ita enim die Martii tertio ad Ritterum Heidelberga scribit: *Pro eo, qvod Senatus vester jus hospitii, & compater meus Joergerus, ipsum apud se hospitium in ædibus suis mihi promisit, jam supellectilem meam ex majore parte ad vos mitto, teqve rogo, si consilio aut ope tua, aut fratrum hanc ad rem, ut in loco tuto reponatur, opus sit, ut nobis benigne adsis. - - Ego, ubi nuptias filiæ curavero Landoe, cum reliqva familia, volente Domino, ad vos subsequar. Impetravi autem a Duce Casimiro dimidii anni salarium, post resignatum mihi conditionem. D. D. KIRCHNERUS & SCHOPPERUS qvoad Ministerium eodem mecum sunt loco, & tantum jussi sunt, sua Academica curare, qvod factum est 18. Februarii.*

Heſterna die Præceptoribus Claſſicis in Pædagogio, propterea qvod detrectarint diſcipulos ad ſacra Calviniſtarum adducere, ſimiliter reſignatæ ſunt conditiones, ut mariti intra menſem; reliqvi, qvacunqve hora jubeantur, loco cedant. Sed & miniſtris verbi heri datum eſt mandatum, typis excuſum, ne qvicqvam de controverſia hac acta moveant, ſub gravi extremæ pœnæ denunciatione. Hactenus ille die tertio Martii; qvem non longo poſt tempore Francofurtum ſe cum ſuis contuliſſe, ut credam, id efficit, qvod nulla epiſtola poſt hanc, ad *Ritterum* data, occurrit. Utrum vero d. 19. Septembr. ejusdem anni, an alio, obierit, parum exploratum eſt. *Salom. Frenzelius*, Vratislavienſis, carmen ſuum in Patientem Ἐπιτάφιον Francofurti, qvo venerat, in ædibus Typographi Kal. Decemb. anni 1584. ſcripſit, idqve *Rittero* cum epiſtola qvadam ſua, (qva ſimul feſtinatum ſuum verſus Stutgardiam abitum cauſatur, qvod illum præſens ſalutare non potuerit,) miſit, ita habens:

Re patiens, dulci Patiens *qvi nomine* Petrus,
Conditur hoc tumulo.
Ob Chriſti laudes, qvas pura voce canebat,
Pertulit exilium.
Pertulit obſcoeni convicia dira palati.
O merito Patiens!
Omnia nunc vicit patiendo laetus in alto
Aethere victor ovat.

Hinc

Hinc intelligitur, errare illos, qvi cum *Kœnigio* in Bibliotheca Vetere & Nova, *Micrælio* in Syntagmate Hiſtor. Eccleſ. p. 775. & *Jo. Fabricio* Parte IV. Biblioth. Fabricianæ p. 251. *Patientem* noſtrum an. 1580. fatis functum eſſe tradunt. Atqve hæc qvidem fuſius nonnihil de *Patiente*, viro meritisſimo, de qvo pauca alias inveniuntur, exponere libuit, ex his ejus epiſtolis, ex qvibus præterea multa ad hiſtoriam Eccleſiarum Palatinarum primum florentem, deinde vero adflictam, tum vero ad *Formulam Concordiæ* pertinentia, diſcere licet. Exſtant alias *Patientis* noſtri epiſtolæ nonnullæ ad *Marbachium* inter *Fechtii* illas, v. c. p. 618. 620. & 629.

Vol. IV.

onuſtum eſt epiſtolis CCCXLI. qvas viri maximam partem doctisſimi, qvorum numerus 170. conficit, Sec XVI. & XVII. manu ſua ad diverſos exararunt. Præcipui illorum ſunt, Aldus Romanus, Jac. Bongarſius, Joh. Bugenhagius, Mart. Bucerus, Joach. Camerarius, Dav. Clodius, Th. Crenius, Jo. Conr. Dietericus, J. G. Dorſchæus, Jo. Duræus, cujus ſunt epp. 105-120. ad Chriſtoph. Forſtnerum, & alios, de concordiæ, qvam moliebatur, negotio ſcriptæ, Edzardi, Chriſtoph. Förſtnerus, Jo. Friſchmuthuus, Juſtus Fontanini, Scipio

Gentilis, Melch. Goldaſtus, Hug. Grotius, Nic. Gurtlerus, Joh. Ludov. Hartmannus, Jo. Henr. Horbius, Jo. Hulſemannus, Chr. Junkerus, Athanaſius Kircherus, Mich. Kirſtenius, Hubert. Langvetus, Jobus Ludolfus, Mart. Lutherus, Paulus Lutherus, Martini filius, Marc. Malpighius, Philip. Melanchthon, Metrophanes Critopulus, Melch. Nicolai, Barth. Nihuſius, Jo. Oldendorpius, Jo. Ad. Oſiander, Jo. Palatius, Hiſtoricus Italus, Car. Patinus. Jo. Wilh. Peterſenius, Caſp. Peucerus, J. G. Pritius, Jo. Qviſtorpius, Adam. Rechenbergius, Nic. Rittershuſius, Jo. Chriſtfried Sagittarius, Wilh. Schickardus, Ulricus Schmidt ad varios n. 70-89. J. B. Schuppius, Jo. Sleidanus, P. I. Spenerus, Jo. Sturmius, Sebaſt. Tengnagelius, Jo. Teſmarus, El. Veielius, G. H. Velſchius ad J. M. Fabrum 36-41. J. C. Wagenſeilius, Imman. Weberus, G, W. Wedelius, & Jo. Woodwardus. Multæ harum epiſtolarum inſcriptæ ſunt *Hectori Wilh. de Gunterrode*, Scabino olim Francofurtano, & *Zunnero*, Bibliopolæ, ab illis, qvi vel libros ſuos huic exſcribendos obtulerunt, vel aliorum illos ab eo mitti ſibi voluerunt.

Epiſtola *B. Lutheri* de *Nopo*, qvæ primum locum occupat, inſcripta eſt D. *Johanni Förſter Præpoſito Laurentii Nurnbergenſi & legato Chriſti Regenſpurgenſi.* Lucem illa ex hoc

αὐτο-

ἀπολογεάφῳ beneficio B. *Vffenbachii* in *Relationibus Theolog. innoxiis.* an. 1715. p. 406. antea vero an 1708 p. 721. & in B. *Georg. Serpilii* præfatione, ad *Jo. Henr. Kinderrateri* Nordhuſam illuſtrem p. 6. ubi in ſeqventibus plura de *Nopo* ipſo leges, adſpexit.

Multum hæc epiſtola facit ad illuſtranda & firmanda ea, qvæ *Seckendorfius* in Hiſtoria Lutheraniſmi lib. III. §. 97. p. 396. tum de *Joanne Förſtero*, Norimberga Ratisbonam accito, tum de *Hieronymo Nopo*, illuc Wittenberga, ut Paſtore, vocato, tradidit.

Ibidem in Relationibus Innoxiis p. 407. legitur epiſtola *Melanchthonis*, qvæ in hoc Volumine n. II. exſtat ad *Jo. Forſtenium* ſcripta; & p. 408. alia *Lutheri* ad *Dan. Greſſerum*, Parochum Dresdenſem, qvæ heic n. III legitur. Ibi tamen ἀυτολογεάφον legi jubet: *& nos ratione reddenda gravemur.* Et mox: *pro noſtra virili*, loco: *pro noſtro virili.* Porro *Jac. Grynæi* binæ ad *G. M. Lingelsheimium* epiſtolæ, iſtis in hoc volumine proximæ, exſtant ibidem p. 409. ſqq. una cum *Caſp. Peucri* illa ad *Jo. Cuipium Andronicum*, Rectorem qvondam Scholæ Francofurtenſis.

Epiſtola *Pauli Lutheri Martini* filii, Græca eſt, ad *Jac. Andreæ* ſine die & conſule exarata. Subſcriptio ita habet: Παῦλος λυθὴρ λευκορεὺς. Subjecta eſt a *Mart. Cruſii* manu converſio Latina. Inter

Inter ceteras legitur qvoqve *Georgii*, Saxoniæ Ducis, ad *Eraſmum* epiſtola Dresdæ Kal. Januar. 1527. data, in qva infenſisſimum in *Lutherum* animum acerbisſimis criminationibus prodit, qvas divulgare & viri innocentia & pudor vetat. In calce epiſtolæ ait, ſe Henrici VIII. Regis Angliæ Reſponſionem ad Lutheri librum Eraſmo mittere, eundemqve, ut Luthero ſe opponat, his verbis cohortatur : *Tu vero exuſte rerum Chriſtianarum nobis facere videris, ſi & tu magni illius Regis exemplo, animo forti & ſincero parias tandem, qvod jam dudum te in Hæreſiarchæ iſtius dogmata parturire ſcripſiſti.*

Apponere ex hoc volumine libet epiſtolam Reverendiſſ. *Juſti Fontanini*, Archiepiſcopi hodie Ancyrani, qvam ad *Maximilianum Raslerum*, S. J. Presbyterum Roma ſcripſit die 13 Julii 1708.

Jam dudum videre optabam defenſionem tuam, Vir Clariſſime, pro diplomate Lindavienſi, qvam nuper ad me perferendam curavit ornatiſſimus & humaniſſimus D. Canonicus Hahn; maxima ſane mea voluptate in eadem ſuſpexi eruditionem tuam & obſeqvium erga ſacram antiquitatem. Qvare diutius mihi temperare non potui, qvin literis, obſervantiæ erga te meæ teſtibus fidiſſimis, meam voluntatem tuo clariſſimo nomini devinctam manifeſtarem, teqve certum redderem, me in Reſponſione ad P. Germonium non ſolum palam improbaturum, qvod in Vindiciis meis excidit contra

tra diploma Lindavienſe, ſed illud pro virili defenſurum, tanqvam genuinum & verum, te debitis laudibus cumulando, qvibus profecto indignum ſe oſtendit P. Germonius, paradoxa paradoxis addens, & etiam manifeſta mendacia & contumelias in honeſtos viros, ut tegat, qvæ ſemel inconſultus effudit. Accipe, Vir religioſiſſime, voluntatis meæ teſtimonium, &, ſi operam meam tibi aliqva re profuturam cognoveris, eadem pro arbitrio tuo utere. Nihil enim optatius unqvam accidere poterit, qvam ut tuis juſſibus obtemperem. Vale.

Vol. V.

complectitur epiſtolas maximam partem autographas virorum doctorum Saec. XVI. & XVII. ad varios exaratas. Præcipui horum ſunt *Ammiani*, nempe *Jo. Ludovicus* V.D. M. inter Helvetios Claronenſis, pater, *Jo. Huldricus* & *Joh. Henricus*, filii ejus, qvorum epiſtolæ mutuæ CXL. conficiunt, ad hiſtoriam Eccleſiæ Helveticæ facientes : porro Theod. Beza, Martin. Bucerus, Pet. Cunæus, Chriſtian. Dreierus Melch. Goldaſtus ep. 89-133. Jac. Golius, Hugo Grotius, Jo. Henr. Heideggerus, Dan. Heinſius, ep. 22-29. & 37. Nic. Heinſius, Juſtus Jonas, Pet. Lambecius, Mart. Lutherus, cujus tres exſtant, Conr. Lycoſthenes, Marcus Meibomius, Wolfgang. Muſculus, Jo. Iſaac. Pontanus, ep. 43-67. item 77 & 78. J. A. Quenſted, Jul. Alph. Ramazzini, Georg. Remus, Gerh. Eberh. Rumpf, Pet. Scriverius, Georg. Waſerus, & Zanchius. B.

B. Lutheri epiſtola ad Albertum, Magdeburg. ac Moguntinum Archiepiſc. an. 1517. contra nundinationem Indulgentiarum ſcripta, in hoc Volumine n. 7. exſtat, prout ex *αὐτογεάφῳ* Lutheri, qvod nunc in Tabulario Regio Svecico obvium eſt, ſumma fide, annitente B. *Jo. Frid. Mayero*, deſcripta eſt. Eam vero contuli cum ea, qvam *Aurifaber* Tom. I. Collectionis ſuæ n. 31. exhibet, & nonnullas varietates, nunc majoris, nunc levioris momenti obſervavi, alias exhibendas. Sic v. c. poſt verba: *Nusqvam enim præcipit* (l. præcepit) *Chriſtus indulgentias prædicari;* integer hic verſus deeſt: *ſed Evangelium vehementer præcepit prædicari.* Non procul a calce pro *admittere*, legendum eſt *advertere.*

Excipit illam *Lutheri* alia ad GVSTAVUM, Sveciæ Regem, feria VI. poſt Qvaſimodogeniti an. 1539. data, & ex eodem, qvod dixi, tabulario deſcripta. Eam primus ni fallor, edidit *Thom. Crenius* Tom. VIII. Animadverſionum Hiſtor. Philologic. p. 144. qvæ cum noſtro illo apographo comparari poſſit.

Idem habendum eſt de epiſtola *Joannis Friderici*, Saxoniæ Electoris & *Philippi*, Haſſiæ Landgravii, epiſtola nomine Principum & Statuum Evangelicorum an. 1537. 26. Mart. germanice ſcripta, & *Guſtavi*, Regis, reſponſoria d. 11 Octobr. an. 1537. reſcripta,

ſcripta, qva cauſam religionis Evangelicæ qvovis modo ſe provecturum pollicetur. Exſtat utraqve epiſtola n, 9. & 10. ex tabulario Svecico.

Inter cetera oculis meis ſe offert fragmentum epiſtolæ *Henrici Bullingeri* n. 376. ad filium datæ. Dolet ibi obitum *Joannis Wolphii*, atqve hæc protinus ſubjungit: *Hic fuit mihi chariſſimus & conjunctiſſimus: vir pius, modeſtus, pacificus, prudens; & vir conſilii ac converſationis ſanctæ, inprimis autem doctus in lingvis, & appoſitus ad concionandum, diſputandum, profitendum. Hunc virum tantum eripuit nobis ex improviſo Dominus. Vereor autem, nos non facile parem reperturos.*

Vol. VI.

Epiſtolas complectitur CCXXII. a Theologis celebrioribus Sæc. XVII. manu ipſorum ad varios ſcriptas. Redemtum illud eſt ex auctione Bibliothecæ B. *Jo. Frider. Mayeri*, in cujus Catalogo p. 727. n. 12. enarratur. Potiores Scriptores ſunt Balthaſ. & Frideric. Balduini, Jo. Botſaccus, Jo. Buxtorfius, Abrah. Calovius, J. C. Danhauerus, I. M. Dilherrus, Sal. Glaſius, Henr. Höpfnerus, (cujus ſunt triginta & amplius, D. Jo. Mullero, Miniſterii Hamburgenſis qvondam Seniori, inſcriptæ;) Jo. Hulſemannus, Nic. Hunnius, cujus ſunt fere 50 ad eundem Mullerum, Steph. Klotzius, Balthaſ. Meiſnerus, Sam. Pomarius, Paulus Rœberus, Mich.

Mich. Siricius, Mich. Waltherus, Superint. Cellenſis, & Jac. Wellerus. Pleræqve earum ad D. Jo. Mullerum, qvem dixi, ſcriptæ ſunt.

Speciminis cauſa deſcribam *Jo. Buxtorfii* epiſtolam ad D. Jo. Mullerum Baſil. 3 Novembr. an. 1641. datam.

Literæ tuæ, Vir Reverende, 12 Sept. Hamburgi datæ, recte mihi ſunt redditæ. Intellexi ex illis, præter inſignem tuum erga me amorem, & benevolentiam, qvid T. Rev. afficiat, qvidqve à me petat. Ita eſt: ante aliqvot annos coeptam à me eſſe verſionem commentarii Abarbanelis in Danielem, eam ipſam ob cauſam, ut acerrimi Chriſtianæ religionis hoſtis argumenta noſtris Theologis innoteſcerent. & ab illis refutari poſſent. Mirum enim qvantum Judæi de hoc authore glorientur, qui, ubicunqve poteſt, occaſionem arripit, Chriſtianos carpendi & refutandi præſertim in hoc in Danielem commentario, adeo, ut ab aliqvo tempore eum ſepoſuerim, dubitans, an conſultum ſit, in publicum eam emittere. Curavi per ſtudioſum deſcribi ea, qvæ petis, in cap. IX. à v. 23. usqve ad finem capitis. Scire autem te velim, primam hanc eſſe verſionis delineationem tantum, neqve adhuc efformatam & elaboratam. In vertendis enim Hebraicis qværendus hac ratione primum eſt ſenſus, & cohærentia ſingulorum, poſtea lima accuratior demum adhibenda. Nunc temporis propter varias alias diſtractiones non licuit cum cura eam revidere, & cum auctore ipſo com-

conferre. Spero autem, ſenſum ipſum expreſſum eſſe, qui ad propoſitum tuum tibi poterit ſufficere. Vidi R. Davidis Cohen de Lara libellum de convenientia vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis &c. unde ejus nomen mihi innotuit. Menaſſe ben Iſrael varia Amſtelodami edit lingva Latina; ſed an religioni Chriſtianæ utile, & è republica ſit, valde dubito. Animadverto enim, illum hoc unice, ſed vaferrime, agere, ut ſuam religionem ſtabiliat, noſtræ autem religionis fundamenta per cuniculos ſubruat & evertat. Mihi videtur, accuratiorem & magis ſeveram cenſuram reqviri ad iſtorum librorum editionem, neqve Chriſtiano Magiſtratui honorificum eſſe, ſub ipſorum tutela & protectione iſtiusmodi ſcripta hac ratione publicari. Virus enim Judaicum paſſim in illis latet, qvod Chriſtianis incautis non ſine periculo propinatur, eo præſertim ingenio, qvalia in Belgio reperiuntur, præditis. Utinam non aliqvando triſtis eventus comprobet, qvod animus mihi præſagit. Sed hæc nunc in tranſitu. Pie admodum tu facis, Vir Reverende, qvod in Chriſtiana religione propugnanda, & Judaica debellanda, operam tuam locas, qvod, ni fallor, etiam facit D. l'Empereur. Ad hoc tuum propoſitum, ſi vel nunc, vel inpoſterum ego aliqvid pro mea tenuitate conferre poſſum, ſemper me ad tuum nutum habebis, tum propter Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem, tum propter inſignem tuam pietatem & eruditionem, qvæ ex literis tuis mihi innotuit. Vale, Vir Rev. &, niſi moleſtum eſt, ubi hæc acceperis, me certiorem redde, & amare perge.

Notari heic velim, epiſtolam B. *Mulleri* ad Buxtorfium, tum illam, qva verſionem Lat. Abarbanalis in Danielis IX. petit, tum eam, qva illam ſe accepiſſe gratus teſtatur, exſtare in *Jo. Buxtorfii*, nepotis, Catalectis p. 442. ſqq. Adde ipſum *Mullerum* in Judaiſmo detecto p. 26. & qvae ſcripſi Vol. I. Biblioth. Hebr. p. 634.

Vol. VII.

Eſt Epiſtolarum CCLXXII. autographarum ad B. *Balthaſar Meiſnerum*, Theologum Wittenbergenſem præſtantiſſimum, a variis Sæc. XVII ſcriptarum. Illud una cum ſeqventi VIII. ad Illuſtrem *Uffenbachium* emtionis jure pervenit ex Bibliotheca Rev. *Jani*, Archidiaconi Saxo Hallenſis, *Meiſnero* ſangvine juncti. Sunt in his paucæ qvædam, ad alios ſcriptæ. Præ reliqvis eminent, Joh. Andreæ, Chriſtoph. Arnoldus, Conr. Aslacus, Jo. Baazius, Andr. Cramerus, Andr. Crucigeꝛ, Georg. Dedekennus, Jac. Fabricius, Paſtor Hamburg. Arngrimus Jonas, Conr. Kircherus, Elias Lang, Jo. Lucius, Balth. Meiſnerus, ad filium, Anton. & Ludovic. Mylius, Barthol. Reuſner, Conr. & Georg. Schluſſelburgius, & Jo. Georg. Sigward. Numerus illorum, qui has epiſtolas inde ab anno 1614. ad 1626. ſcripſerunt, CLXX. circiter conficit.

Inter has epiſtolas tres ſunt *Arngrimi Jona*

Jonæ, Eccleſiaſtæ, ex Islandia Boreali datæ. Ex his unam, 13 Aug. an. 1622. ſcriptam, decerpam.

Qvod ex literis M. Dedekenni R. T. D. incolumitatem perceperim, eſt, unde ſerio & ſolide gaudeam, Deoqve ex animo gratias agam: qvi M. Dedekennus etiam literas meas, anno ſuperiore ad Rev. Dn. Fautorem datas, fideliter redditas eſſe ſignificavit, qvas, ut & hoc, ut R. T. D. boni conſulat, impenſe rogo. Coeterum D. Meiſneri literae hoc anno, cum libris ad me deſtinatas, ex eodem percepi, caſu incerto periiſſe. Id qvod impenſius doleo. Sarcinulam librorum nullam vidi: verum ſaltem, ut in charta his incluſa continetur. Ferendum idcirco, qvod mutari non poteſt. Ut autem aliqva ex parte, qvod meum hic ſit fatum, Dn. Doctori innoteſcat, mitto libellum apologeticum, qvem impudentes hoſtium calumniæ extorſerunt. Sed an veſter ille Cyclops Heidelbergenſis conticuerit, faciet me Dn. Doctor, ſi inpoſterum ſcribet, certiorem. Hoſeam Meiſneri (praeter Philoſophiam Sobriam & Poſtillam) avide lego. Anthropologiam rarius propter typos exiliores. Confeſſionis Auguſtanæ genuinum exemplum valde optarem, cum commentariis, qvos mihi potiſſimum conducere noverit Dn. Fautor: ſive Hutteri, (cujus hic Concordiam Concordem terimus) ſive Mentzeri, ſive denique ipſius Meiſneri, ſi exſtent, niſi commentariorum vicem ſuppleat opus Hutteri poſthumum, in concione funebri, à D. Meiſnero promiſſum: tum, ſi commode mitti qveat, illud percupio, anno-

lato pretio, ut per M. Dedekennum ſatisfiat. Interim de exemplari Auguſtanæ Confeſſ. ſolicitus ſum, niſi id Hiſtoria Conf. Auguſt. à D. Chytræo concinnata, (qvam is ad me olim miſerat) contineatur, de qvo tum moneri velim, ut ſimul de iſto: qvisnam ille ſit Menzerus ab Affelmanno diſp. de peccato Originis (ni memoria fallar) Calviniſtis annumeratus. Nam abſit, ut noſter ille ſit D. Menzerus, Gieſſenſis Theologus ſyncerisſimus cujus ſaltem Anti Martinium habeo, ſed minutisſimus typis excuſum. Sed & Meditatio cruci Hutteris qvam grande opus ſit, & qvibus typis editum, indicari peto, & an Chriſtologia adhuc edita non ſit. Anti Papiſtica & Anti-Photiniana non magnopere lego, qvorum hic uſus nullus fere: didactica potisſimum inſpiciens. &c.

Arngrimus Jonas, epiſtolæ hujus Scriptor, Islandus fuit, vir doctus & variis ſcriptis, ad hiſtoriam & res regionis patriæ relatis, inclytus, qvi an. 1649. admodum ſenex obiit. Vide *Th. Bartholinum* de ſcriptis Danorum p. 12. additis *Jo. Molleri* hypomnematibus p. 164. *Liber apologeticus*, qvem hic *Meiſnero* ſe mittere ait, videtur eſſe libellus, ſub titulo, *ἀποτροπὴ calumniæ*, Hamburgi 1622. editus. Lege de eodem *Petri Baelii* Lexicon ſuo loco.

Vol. VIII.

Epiſtolas autographas ad eundem *Meiſnerum* datas CCCCV. exhibet, ita qvidem,

ut omnes & ſingulæ, ab eodem viro ſcriptæ, ordine ſibi junctæ legantut. Sunt ibi *Frid. Balduini* tres, *Barthol. Batti* duæ, *Wolfgangi Jac. Chriſtmanni* tres, *Dan. Crameri* ſeptem, *Jo. Crugeri* qvatuor, *Conr. Dieterici* qvinqve, *Sigiſm. Evenii* qvinqve, *Wolffgangi Franzii* qvatuor, *Joh. Gerhardi* duodecim, *Nic. Hardkopfii* novem, *Matthiæ Hoe* qvinqve & octoginta, *Henr. Hoepfneri* novem, *Nic. Hunnii* octo, *Bartholdi Krackevitzii* qvatuor, *Polyc. Lyſeri* qvatuor, *Wilh. Lyſeri* duæ, *Chriſtiani Matthiæ* qvinqve, *Balthaſ. Mentzeri* triginta, *Cæleſtini Miſlentæ* novem, *Wilh. Nigrini* qvatuor, *Jo. Olearii* duæ, *Jo. Pauli Reſenii* qvatuor, *Pauli Roeſſelii* undecim, *Oligeri Georg. Roſencrantzii* qvatuor, *Joſuæ Stegmanni* tres, *Jo. Stumpfii*, octo. Illas ceterorum, qvi ſunt octoginta circiter, omitto.

Deſcribam heic *Helvici Garthii* ad B. Meiſnerum, filium, epiſtolam Freibergæ 4 Februar. 1613. ſcriptam, tanqvam ad conatus & deſtinata ejus cognoſcenda pertinentem.

Miſit ad me Dominus Parens tuus Apologiam tuam in controverſia de prædicationibus Perſonalibus & Sacramentalibus. Eam per tranſennam qvaſi inſpexi, ſed revolvere per occupationes nondum licuit. Faxo autem, ut perlectam protinus recipiat. Interim cauſam tuam, qvam noſti, apud Dn. Schoenbergium & D. Aichmannum & fideliter & diligenter egi, variis uſus argumen-

nisqve minime levibus. Num vero commendatio illa mea hac vice pondus aliqvod habitura sit, ignoro. Aichmannus responsum promisit. Acceptum tecum communicabo. Ex aliis autem habeo, Schœnbergium & Moserum admodum savere D. Gerhardo, qvi omnino vult esse Academicus. Misit enim superioribus diebus ad Consilium Ecclesiasticum Tomum II. Disputationum & Postilla Germanica, SCHOENBERGIO, GERSTENBERGERO, & MOSERO, (qvantum vidi,) dedicata. Is nisi tibi obfuerit, de promotione tua ego nihil dubito. Scio qvidem, adversarios tuos in controversia de prædicationibus inusitatis Consiliarios secretiores aliqvanto abs te alieniores reddidisse. Sed in literis ad Schœnbergium Te diligenter excusavi, & addidi, adhuc sub judice litem esse. Fretum te fuisse bonitate cause & consensu doctissimorum in Germania Theologorum. Eventum dies docebit. Tu ora sedulo, & vias tuas commenda Deo. Ille si Professorem te esse voluerit Witebergæ in Facultate Theolog. facillime animos Superiorum flectet, ut voto tuo tibi non desint. Ego, qvod amicum candidum & syncerum, syncere te amantem, & studiis tuis bene cupientem, decet, præstiti. Et optarem, ut rationes meæ probe expenderentur. Sed in manibus Domini sortes nostræ. Vale cum uxore & universa familia tua, meoqve nomine Dn. D. Balduinum peramanter saluta.

Ad epistolam hanc rectius intelligendam tenendum est, *Balthasarem Meisnerum*, cujus

cujus hic, ut Patris noſtri Meisneri, mentio eſt, Dresdæ verbi divini præconem, Filium autem eo tempore, qvo hæc epiſtola ſcripta eſt, Profeſſorem Ethices in Academia Witteberg. egiſſe, usque ad an. 1613. Eo anno *Jo. Förſterus* Profeſſionem Theologicam cum munere Antiſtitis Generalis Islebienſis permutabat. Ex qvo factum eſt, ut *Meiſnerus* noſter in ejus locum ſufficeretur, qvod & ipſe cupiebat, & *Garthius* commendatione ſua efficere conabatur. Lege de viro optimo & præſtantiſſimo, qvi an. 1626. ætatis 40. vitam præmature finiit, *Wittenium* in Memoriis Theologorum p. 215. *Theophil. Spizelium* in Templo honoris p. 60. ſqq. & alios, à B. *Henrico Georgio Goetzio* in epiſtola Germanica ad D. *Jo. Gottlieb Lucium* de Dresdenſibus diſperſis ſcripta, p. 69. allegatos, qvi & ipſe de illo inde a p. 57. diligenter commentatur.

Proxima huic eſt ejusdem *Garthii* ad noſtrum epiſtola, qvam Praga, qvo paulo ante ad capeſſendum ibi munus Antiſtitis Evangelici pervenerat, 29. Jan. an. 1614. ſcripſit, an. 1619. d. 5. Decembr. defunctus, ad exemplum Meiſneri qvadragenarius. In hujus epiſtolæ limine hæc lego: *Incidi ego in periculoſa & difficillima tempora, qvam primum Pragam cum familia mea perveni, ut tuto vix reſpirare mihi licuerit.* Et

paucis interjectis: *Ego optarem, me in Misnia (Freibergæ) relictum fuisse. Vix enim tertiam aut quartam partem vera sunt, quæ de splendida hac vocatione passim feruntur. Sed qvoniam Deo & Electori ita placuit, in patientia possideo animam meam, & qvæ mei sunt muneris, pro viribus exsequor, operam daturus sedulo, ut pura ac syncera religio in hoc regno & conservetur, & propagetur. De magnis & splendidis donis aliorum more non sum sollicitus; neqve hactenus videre potui, ea tam esse freqventia, ut qvidam existimant.* De egregiis Viri meritis lege plura in *Wittenii* Memoriis Theologorum p. 1403. sqq.

Vol. IX.

refertum itidem est epistolis ad *Meisnerum* autographis CCCLXV. a Viris CXXIV. exaratis, qvibus hinc inde, inprimis in calce, adjectæ sunt ipsius *Meisneri* ad alios, & Patris ejus ad ipsum literæ. Habes hic multas (servabo ordinem, qvo in Volumine exstant) *Matthiæ Hoei, Frider. Balduini, Jo. Winckelmanni, Balth. Menzeri, Justi Feurbornii, Theodori Thummii, Jac. Reisingii, Cunr. Dieterici, Nic. Hunnii, Alberti Graueri, Jo. Gerhardi, Joh. Behm, Cælest. Mislentæ, Christiani Matthiæ, Mich. Waltheri, Henr. Hoepfneri, Dan. Crameri, Jo. Weberi, Jo. Affelmanni, Pauli & Joh. Tarnoviorum, Polycarpi Lyseri*, Senioris & Junioris, *Wilh. Lyseri, Andr. Osiandri, Leonh. Hutteri,*

Hutteri, Wolfg. Franzii, Joſ. Stegmanni, Georg. Zeaemanni, Jo. Majoris, Jo. Himmelii, Matthiæ Haſenrefferi, Jo. Pauli Reſenii, Jac. Welleri, Io. Giſenii, Caſp. Bartholini, Jo. Crugerii, Joach. Gerdæi, Vinc. Schmuckii, Chriſt. Schleupneri, Nic. Petræi, Bartholdi Krakevitzii, Helv. Garthii, Henr. Tettelbachii, Io. Mulleri, Io. Corvini, Io. Olearii, Georg. Koenigii, Io. Schroderi, Io. Sauberti, Io. Mehlfuhreri, Laur. Laelii, Jo. Cothmanni, Andr. Kesleri, Levini Pouchenii, & aliorum, qvos percenſere longum foret: in potioribus itaqve acqvieſcere liceat.

Inter has epiſtolas exſtat illa *Pauli Tarnovii*, Prof. Theologi Roſtoch. ad Theologos Ienenſes, *Io. Majorem*, *Gerhardum* & *Himmelium* Roſtoch. 1622. 22 Aprilis pro *Io. Tarnovio* ſcripta, cujus maximam partem hic deſcribere non pigebit.

Ea eſt filiorum lucis indoles, e ſupernis ipſis indita, ut, qvicqvid agant, in tenebris occultari nolint, ſed in apertum velint proferri, omniumqve recte intelligentium judicio exponi: illorum typum & exemplar ſui gregis cum nos conſtituerit paſtor ille & epiſcopus animarum noſtrarum, in certam ſpem erigor, fore, ut mihi facti cujusdam, qvo non parum una cum multis aliis fui conturbatus, rationem exponere non dedigneminī. Miſſa eſt ad reverendum hujus Academiæ Concilium, ſuperiori Octobre ineunte, epiſtola, veſtris omnium & plurium aliorum comprobata manibus ac ſigillis, in qva reus agitur meus ex

fratre nepos, Ioannes Tarnovius, D. & Prof. Theologiæ, violati consensus in doctrina Christiana: argumentum profertur ex libro Exercitationum Theologicarum, in quo discessit à D. Lutheri, Chemnitii, Chytræi, & Hunnii sententia, partim in dictorum quorundam interpretatione, partim in deductis inde conclusionibus. Addita erat isti accusationi petitio, ut in posterum à talibus auctoritate publica Magistratus Academici abstinere juberetur: ni faceret, futurum, ut ad Illustriss. & Celsiss. Principes a Vobis hæc semel instituta accusatio devolveretur. Maturo totum hoc negotium à vobis consilio, cui præiverit scientia & charitas, dubitare me non sinit fama de vobis publica: sed quia & ipsum factum, & omnes ejus circumstantiæ diligentius à me & ab aliis ad amussim omnium consiliorum, dictorum & factorum nostrorum minime fallibilem exactæ, aliud (quæ forte est nostra coecitas, & in tam arduis rebus dijudicandis infirmitas) nobis persvadere volunt, & eventus actionis istius in totam Academiam, præcipue vero in Collegium nostrum Theologicum, & in me ejusdem Seniorem, alius exstitit, quam vobis, ut spero, propositus fuit, idemque me in silentio & patientia, nisi meam famam, quod crudeles solent, negligere velim, non permittit tolerare, quod illatum est; antequam ad alia, quæ extrema necessitas tandem mihi imperabit, descendam; vos de causis totius rei consulendos putavi. Eas ut mihi tanto evidentius exponere possitis, dubitationum mearum rationes vobis aperiam. Principio, acer-

cerum esse apud omnes intelligentes & æqvos istius scripti lectores confido, nullum in eo doctrinæ Christianæ caput ex professo tractatum, nullumvereo in isto genere dissensum posse administrari; argumento non alio ad hanc rem utar, qvam qvod ex actorum silentio firmissimum petitur: in cæteris autem, ad fundamentum religionis nostræ non pertinentibus, sive eæ sint conclusiones, sive principii illius unici, ex qvo solo disputare Theologum oportet, interpretationes, qvisqvis consensum per omnia unanimem cum Luthero & cæteris necessarium dixerit, valde vereor, ut ipsam Scripturam, qvæ nos ex parte cognoscere, ex parte prophetare ait, & omnium seculorum experientiam, ne dicam vel ipsos, pro qvibus pugnatur, nostræ religionis antistites venerandos, vel eorum defensores, in sui dicti confirmationem adducere qveat. Et parum sublevabit qvenqvam, hujus ipsius dissensionis æqve cum meo nepote reum, qvod ille adjicere ausus fuit eorum nomina, a qvibus non sine ratione discedere se posse autumavit, hic vero ea exprimere fuit veritus. Dissensus enim consistit in ipsa sententiarum varietate, ad qvam nihil faciunt dissentientium nomina. Et si qvod ex dissensu periculum, id majus est ex occultato, qvam ex manifestato. Qvid? qvod meus ille iam ista nomina in iteranda editione, (qvæ ex vestra intentione dicitur per Academiam prohibenda, & hactenus fuit prohibita, vere, an falso, non dico, sed vos super hac re audire discupio,) deleverat omnia. In qvo id permirum nobis accidit, qvod

propter

propter qvæ, dum adhuc legebantur in eo publico tantum abfuit, ut qvisqvam veſtrum adeo vehementer ſit offenſus, ut etiam nonnulli (teſtes allego in hanc rem duos ex veſtro numero,) ipſum opuſculum apud auctorem dilaudarint, propter eadem nunc omiſſa ſit culpandus, & libri editio nova omni ſtudio, & conatu impediri poſtuletur. Jam qaod fidelibus interpretibus omnibus in ſcrutanda ſcriptura ejusqve verſionibus, citra omne diſcrimen perſonarum, locorum & temporum, licitum, imo neceſſarium eſt, id qvomodo citra evidentem ἀντίφασιν ſoli meo cognato aut nobis, in hac Academia nunc docentibus, ſit illicitum, ignorare me ingenue fateor. Nam de offendiculo juventutis qvod dicitur, id ex eo vere oriri negabunt, qvi inter πρόφασιν & αἴτιον diſtinguere noverunt. Iidem inqvirendum ſuadebunt, an, qvod obtenditur, ſcandalum oriatur in omnibus, an in aliquibus: illud vere dici non poſſe, exemplis qvam plurimis doceri poteſt: hoc ſi dicetur, in offenſis cauſam mali, qvæ alio remedio tollenda eſt, latere in aprico eſt. Videant vero, ſi qvi ſunt, qvi tam ſalubria & ſummopere neceſſaria ſtudia ex ſuo præjudicio moderari affectant, non ex præſcripto & exemplo D. Lutheri, ejusqve genuinorum diſcipulorem, ne graviſſime peccent in hujus boni largitorem, & in Eccleſiam, qvæ hoc medio tam ſalubriter, qvam nullo alio conſimili, hactenus uſa eſt. Sed ad hæc digitum intendiſſe, qvia cum prudentibus hanc rem diſputo, ſufficiat: nec de criminibus intentatis

tatis in præsentia pluribus: modus vero actionis ênstitutæ per publicas literas, tot sigillis oneratat contra Symmystam, à nemine privatim fraterne monitum de dissensu erroneo, qvem ne Argo oculatior qvidem in istoscripto deprehenderit, de periculis, ex ipso edito metuendis, & qvi jam omnino, qvæ desiderari poterant ab actoribus (ex quorum numero, qvi primi sunt & præcipui patronos sibi delegerat, qvod ipsa clamat προσφώνησις,) qva charitatis lege, qva æquitatis specie nitatur, docere me docilem ne gravemini. &c.

Exstat in eodem volumine n. 348. apographum epistolæ, qua ad *Tarnovii* illam Theologi Jenenses die 1 Jun. 1622. respondent. Petierat Tarnovius, ut per eundem essedarium, qvi suas afferret, epistola responsoria communi omnium subscriptione munita, remitteretur. Hoc vero fieri non potuisse, præmisis qvibusdam aliis, ita significant:

Non potuimus, (respondere) essedario vestro nimium properante, & vix horas nobiscum aliqvot commorante, qva temporis angustia concluſi haut convenire, multo minus sententiis collatis in medium consulere, & qvod facto opus, decernere potuimus. Non voluimus, neqve debuimus, ne causam, qvam cum aliis Electoratus Saxonici Theologis tuemur eandem & unam, nobis solis vendicare, ipsorum præscitum nihili facere, consensum negligere, & præcipitantiæ, qvæ a nostri ordinis hominibus longissime abesse debet, vela pandere

pandere videremur. Qua in ſententia etiamnum perſiſtimus, & in poſterum qvoqve nobis perſiſtendum eſſe judicabunt omnes, qvi negotium, qvo de lis jam inſtruitur, probe a ſe cognitum æqvabili judicii trutina citra πρόκλισιν & πρόκρισιν ponderaverint. Qvemadmodum enim humani aliqvid pætiuntur, qvi vel nimium ſibi tribuentes, vel alteri temere applaudentes & ſuccenturiantes alienum diſſidium ſuum faciunt, & ita malunt cum paucis ἰδιογνωμονεῖν, qvam cum multis, iisqve nec improbis, nec indoctis, πρὸς εἰκοδομὴν ὁμογνωμονεῖν, poſthabitis oraculis Apoſtoli 1 *Cor. X.* 23. *XIV.* 26.*; ſic minus recte faceremus, ſi, qvod omnes tangit, qvi epiſtolam ſupra dictam pro conteſtanda ὁμονοίᾳ καὶ ἰσοψυχίᾳ nominumi ſuorum appoſitione probarunt, & ſigillis ſuis non tam onerarunt, ut tuum habet verbum, qvam firmarunt, nollemus omnibus eſſe notum, ſimul & curæ. Etenim, ſi præteritis & inconſultis illis, qvorum intereſt, unus alterve ad rationem eorum, qvæ apud nos in Conventu Theologico dicta actaqve ſunt, reddendum literis tuis vel perſvaſus, vel genio ſuo obſecutus ſe accingeret, præterqvam, qvod facile vel omittendo, vel addendo, vel remiſſius, vel rigidius agendo, vitium incurreret, nec cæteris ſatisfaceret, næ is præſumtionis & αὐθαδείας, fidciqve neglectæ & candoris poſthabiti labem haut effugeret. &c.*

In calce epiſtolæ ſvadent Theologi Jenenſes *Tarnovio, ut per literas omnium eorum, qvi actui & conventui Jenenſi interfuerint, mentem*

tem conjunctim potius, qvam ſeparatim explo-ret.

Ceterum de utraqve hac, *Tarnovii* ſcilicet & Theologorum Jenenſium ad illum epiſtola *Jo. Gerhardus* in alia ad Meisnerum 1622. propridie Pentecoſtes data ita: *Tarnovianarum literarum exemplar vobis redditum eſſe ex Dn. D. Balduino intellexi, qvid-reſponſi loco dederimus, ad eundem haut ita pridem perſcripſi. Duro nodo durus adhibendus fuit cuneus. Mirabitur, ſat ſcio, R. V. Excell. ſi perlegerit literas, privatim a Dn. D. Tarnovio Seniore ad me perſcriptas, qvarum autographum Dn. D. Balduino transmiſi.* Hujus qvoqve epiſtolæ Tarnovianæ ad Gerhardum apographum exſtat n. 347.

Vol. X.

continet epiſtolas CCLX. autographas, ad eundem *Meisnerum* ab iisdem fere, qvorum nomina modo appellavi, tum vero ab aliis ſcriptas. Eorum numerus CXXX conficit. Ex utroqve volumine IX. & X. multa peti poſſunt, qvæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam & literariam per viginti circiter annos illuſtrandam faciunt. Fuit olim utrumqve in manibus D, *Jo. Henrici Maji*, Theologi Gieſſenſis; utroqve etiam frequenter non tam uſus, qvam abuſus eſt *Godofredus Arnoldus* in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica & Hæreſiologica. Qvæ enim ibi

exci-

excitat duo volumina epiſtolarum αὐτογράφων, hæc ipſa ſunt, de qvibus adhuc expoſui. Selectiores ex utroqve edere olim parabat *Jo. Henr. Majus*, filius, ὁ μακαρίτης, qvarum ſpem fecit in epiſtola ſingulari, Francof. ad Moenum 1712. edita. Compara Relationes Theologicas Novantiqvas, an. 1712. p. 667. ubi & p. 665. mentio fit codicis epiſtolarum, in caula *Gebhardi*, Cancellarii, ſcriptarum, inter qvas etiam *Meisneri* nonnullae exſtent. Adferam ex hoc Volumine unam B. *Io. Gerhardi* ad *Meiſnerum* Heldburgi 14 Sept. 1614. ſcriptam:

Primo omnium, Rev. ad modum & Cl. Dn. Doctor, fautor & in Chriſto frater ſingulariter habende, ex Menzero noſtro ſalutem T. Excellentiæ nuncio, cum eo namqve ante dies non ita multos Gieſſæ colloqviis exoptatiſſimis ac longe jucundiſſimis me oblectavi. Multus de te nobis ſermo, isqve non niſi honorificus: noſti calculos illos, qvos Charitas vocat, eos vero triga Theologorum MENZERUS, MEISNERUS & SCHRODERUS ſuo Gerhardo propinarunt: ex qvo intelligis, qvam ſerio, uterqve noſtrum tuam & SCHRODERI præſentiam eo tempore exoptarit. Cauſa itineris ad ipſum ſuſcipiendi fuit negotium aliqvod ab Illuſtriſſ. mihi demandatum, qvod concernit officium Generalis Superintendentis Coburgenſis. Unicum illud male me habet, qvod propter tumultum Francofurtenſem & crebros mili-

tum

tum occurſus cito pedem referre coactus fucrim. Navicula illa, qvam ſine flumine Witeberga Gieſſam ablegaſti, itidem fuit lætitiæ noſtræ adminiſtra; faxo, ut brevi alia eidem comes jungatur. Nunc ad literas tuas accedo, qvibus citius reſpondiſſem, niſi præter tabellionum defectum duo obſtitiſſent, videlicet ſpes bona propediem vos videndi, & exſpectatio tomi IV. è typographeiῳ. Intra menſis ſpatium σὺν θεῷ ſpero occaſionem, ut non minus ſvaviſſimis cum D. BALDUINO & D. MEISNERO me oblectem colloqviis, qvam Gieſſæ cum Menzero meo factum, ubi etiam exemplaria Tomi qvarti afferam, qvæ nondum mihi ad manum. Judicium de chartulis meis affectui tribuo, mea certe, (qvod novit Deus) præ eruditis tuis aliorumve Theologorum ſcriptis mihi ſordent. Ανθρωπολογίαν tuam ut pertexas, Eccleſiæ nomine oro. Gratiſſimum fuerit, ſi de qvibusdam amice & candide me admoneas. Neqve enim is ſum, qvi liberas amicorum admonitiones, imo reprehenſiones, ferre neqveat. Ad ſobriam tuam Philoſophiam in reliqvis ablegabo lectorem. Ad Dn. D. Balduinum qvod hoc tempore ſcribam, non occurrit: differam. omnia ad exoptatiſſimum noſtrum conventum. Pelargum dormientem a vobis excitari audio: de ipſius conſtantia adhuc bene ſpero, niſi forte ſpes lucri & honorum ipſius animum a veritate reddat alienum. Vale in Domino, Vir Clariſſ. ævi noſtri decus, ac de mea tenuitate optima qvæqve tibi perſvade.

Ex hac epiſtola apparet, qvanta fuerit inter qvatuor illos Theologos, Menzerum, Meisnerum, Gerhardum & Schroederum animorum conjunctio, qvanta item Gerhardi, de ſe ſuisqve ſobrie ſentientis, modeſtia, qvam & alibi in ſuis epiſtolis prodidit.

Vol. XI.

Epiſtolæ DLIII. apographæ ad D. *Jo. Schmidium* & D. *Jo. Pappum* Theologos Argentoratenſes, a viris ducentis amplius exaratæ, qvæ ſecundum literarum ſeriem, qvam ſcribentium nomina exigunt, ſunt collocatæ & in litera M. deſinunt. Eas ex autographis, qvas ex hæreditate proavi ſui D. *Jo. Schmidii*, acceperat M. *Jo. Schmidius* deſcribi ſibi fecit Illuſtris *Uffenbachius*, in limine hujus voluminis dolens, qvod literæ ipſæ non meliori ordine & ſelectu digeſtæ, præterea vero vel ex impedita autorum ſcriptura, vel librarii oſcitantia pasſim male habitæ & depravatæ ſint; cui tamen incommodo idem *Uffenbachius*, inſtituta cum autographis comparatione, in potioribus epiſtolis ſedulo occurrit.

In his duæ ſunt B. *Lutheri*, altera ad *Gerbelium*, ad *Wilh. Capitonem* altera, utraqve inedita, tum vero *Melanchthonis* una ad *Joan. Marbachium*. Ex ceteris potiores ſunt ſeqven-

ſeqventes: *Jac. Andreæ, Th. Bangius, Jo. Georg. Becht, Luc. Bacmeiſterus, Balth. Bebelius, Jo. Bened. Carpzovius, Wolffg. Jac. Chriſtmannus, Dav. Chytræus, Mart. Cruſius, Cunr. Dietericus, Nath. Dilger, J. G. Dorſcheus, Iſaac Fauſtius, Juſtus Feurbornius, Mart. Geierus, Steph. Gerlachius, Sal. Gesnerus, Sal. Glaſſius, Pet. Haberkornius, Meno Hamekenius, Chriſtoph. Helvicus, Henr. Hoepfnerus, Jo. & Sam. Huberi, Jo. Hulſemannus, Aegid. & Nic. Hunnii, Leonh. Hutterus; Th. Lanſius, Conr. Lautenbach, Salom. & Jo. Georg. Lenzii, Joach. Lutkemannus, Joannes, Joan. Jacobus, & Jo. Tobias Majores, Erasmus & Philip. Marbachii, Iac. Martini, Chriſtoph. Meelführerus, Balthaſ. & Io. Meisnerus, Balth. Menzerus, Jo. Mochinger, Io. Mullerus,* Paſtor Hamburgenſis, & *Georg. Mylius. Eraſmi Marbachii* ad *Pappum* ſunt octo, *Philippi* autem ad eundem qvatuor & qvinqvaginta, *Io. Majoris* ad *Schmidium* triginta, *Mylii* vero ad *Pappum* ſex. Nonnullæ harum epiſtolarum *Io. Taufrero* & paucis aliis ſunt inſcriptæ.

Apponam hic B. *Lutheri* illam ad *Nic. Gerbelium* Wittenberga feria qvinta poſt Jubilate an. 1526. datam, & adhuc *αἰνέκδοτον*. *Suo in Chriſto fratri, D. Nic. Gerbelio, Servo Domini Argentorati. Laus & Gratia Deo. Qvod ſaltem te cum reliqvis aliqvot, inter qvos & Leonicerum meum eſſe gaudeo, ſervavit Chriſtus ab iſtis, qvi oderunt nominari Schuermagiſter (ſ. le-*

gendum SCHUELMAGISTER) cum tamen esse pergant, atque unum præ cæteris Oecolampadium ea contagione captum, magno dolori est, quod hunc virum rebus nostris tractandis, tum peritia linguarum, tum autoritate non unius nominis, Deus idoneum formavit, qui ò gratia (f. legendum per gratiam) convertat eum. Cæterum, quod petis, ut in eos scribam, & Cœnam Domini tractem, summi est apud me voti, sed hactenus neque animus, neque res permiserunt. Christus aderit in tempore. Interim expedit, illos totos prodi, & in publicum effundi. Facile est veritati, qui Christus est, vincere, etiamsi modicum oporteat eum crucifigi, & non videri. Ego gratias ego Christo meo, qui non solum me confirmat in sana sententia, sed & illos spiritus non sivit nisi specie, eaque infirma, magno relicto triumphi loco, sua prostituere. Vale, Costam tuam saluta, eamque ad Pentecosten mihi commatrem invita, si filia fuerit; si filius, tu esto compater, si Deus faverit, & dignum me fecerit. Saluta Leoniceum meum. Salutat te mea Catena. Vale.

Jungam illi *Lutheri* aliam *Wolffgango Capitoni, S. Theol. Doctori, servo in Ecclesia Argentinensi fidelissimo, fratri in Christo charissimo*, inscriptam, nec adhuc editam.

Gratiam & pacem in Christo. Per istos Gallos, mihi a Te commendatos, mi Capito, volui rescribere: forte, quæ viderunt & audierunt, ipsi narrabunt. De Tomis meorum librorum disponendis ego frigidior sum & segnior, eo quod Satur-

Saturnina fame percitus magis cuperem eos omnes devorare. Nullum enim agnoſco meum juſtum librum, niſi forte de Servo Arbitrio, *&* Catechiſmum. *Mandavi tamen negotium CASP. CRUCIGERO, ſi qvid faciendum eſt. Præſagiebat mihi cito animus meus, Vos ſudaturos eſſe multum in hac cauſa, ſed orabam ſimul, ne Chriſtus noſter ſineret Vos fruſtra laborare. Satanam Auguſtanum etiam alii mihi ſatis pinxerunt; ſed exſpectemus eum, qvi coepit opus ſuum; is ſuo tempore veniens veniet, nec tardabit: ideo non deſperemus. Nam de te & Bucero ſum perſvaſus, qvod ſincere & candide agatis: nec ſolum hoc, ſed gaudeo qvoqve, de vobis idem ſentire omnes, qvi ad me ſcribunt, vel coram loqvuntur, Veſtri memores. Pro annulo aureo gratias tibi agit mea Catharina, qvam vix unqvam magis indignatam vidi, qvam ubi ſenſit, eum vel furto ſublatum, vel ſuanegligentia, (qvod nec mihi veroſimile eſt, licet usque ingerenti) amiſſum, qvod perſvaſeram ei, hoc donum felix eſſe omen, & augurium ei miſſum, tanqvam nunc certum eſſet, Veſtram Eccleſiam cum noſtra ſvaviter concordare: id mire dolet mulieri. Hæc ſcribo, ut ſcias, cor noſtrum eſſe perfectum & ſyncerum in ſpe concordiæ. Chriſtus perficiat rem ipſam. Amen. Sed hæc addo: nil ultra mittas uxori, ne duplices triſtitiam. Etenim Chriſtus eſt ſatis utrinqve nobis. Saluta omnes Veſtros Noſtrosqve diligenter, & jube eos de nobis cogitare optime, ſicut & nos de vobis. Dominus*

Iesus sit sigillum hujus voluntatis, cui gloria cum Patre & Spiritu S. in æternum. Amen. Anno 1537. 9 *Iulii.*

Vol. XII.

complectitur reliqvas epistolas ad Duumviros illos, qvos dixi, Argentoratenses datas, & secundum literarum seriem inde à litera N. ad Z. dispositas. Earum sunt CCCCV. Scriptorum autem circiter CXL. Inter hos palmam ferunt *Melch. Nicolai*, *Luc. Osiander*, cujus exstant epp. *septem*, *Pet. Patiens*, *Io. Alb. Portnerus*, cujus sunt *decem*, *Io. Ulric. Pregitzer*, *Ludov.* & *Io. Wolfg. Rabi*, *Matthias Ritterus*, *Herm. Samsonius*, *Io. Saubertus*, inde ab ep. 179. ad 236. *Wilh. Schickardus*, *Christoph. Schleupnerus*, *Io. Schmidius* ipse, cujus adsunt responsoriæ qvaedam, *Seb.* & *Ulricus Schmidii*, *Io. Schopperus*, *Io. Scultetus*, *Dan.* & *Andr. Sennerti*, *Sim. Sultzerus*, *Io. Otto Tabor*, *Henr. Tettelbach*, *Io. Henr. Ursinus*, *Herm. Wackerus*, *Michael* & *Io. Michael Waltheri*, *Tobias Wagnerus*, & *Io. Winckelmannus*.

Dignam puto, qvam describam *Iac. Schopperi*, Theologi deniqve Altorfini, epistolam ad *Io. Pappum* Onolsbaci 14 Maji 1588. datam.

Data occasione scribendi per præsentes Studiosos V. E. volui tum de rerum universarum, tum de Ecclesiæ in hoc Marchionatu Brandenburgensi

statu

ſu facere certiorem. Illuſtriſſ. Dn. Marchio Georg. Fridericus, Dominus meus Clementiſſ. aluit octo annos Aulicum concionatorem, nomine M. Georg. Beſſerer, Kitzingenſem, ſtipendiarium ſuum, qui, inſcia ipſius Celſitudine, venenum Calvinianum diu occultavit. Tandem Koenigsbergæ & in aliis locis erga alios Theologos ſuis colloqviis ſe ipſum prodidit. Unde ipſe princeps eum non ſemel examini ſuorum Theologorum ſubjecit, in qvo inſtar vulpeculæ ſemper elabi ſtuduit. Tandem ei injunctum, ut ſuam Confeſſionem ſcripto comprehenderet, qvod etiam fecit; ubi in theſi lubricus, ſed in Antitheſibus, qvas D. Brentio, D. Iac. Andreæ, D. Oſiandro, D. Marbachio, & aliis affingit, manifeſtus Calviniſta, & calumniator deprehenſus. Hanc ejus Confeſſionem hoc noſtrum Conſiſtorium dudum rejecit. Ea tandem etiam ab Illuſtriſſ. meo Principe, Dn. D. IBCOBO ANDREÆ, qvondam Præceptori noſtro, transmiſſa, qvi accitus præterito Februario, advenit, cum homine illo coram Illuſtriſſ. meo Principe, Dnn. Conſiliariis, Dnn. Theologis contulit, ac ei errores demonſtravit; ſed ipſe, ut ingenium eſt talium, ſuperbe & pertinaciter contradixit. Cum igitur ipſius Celſitudo videret, ſe hactenus ab illo deluſam & deceptam, licet ſæpius fuerit admonitus, eum ab officio Eccleſiaſtico depoſuit, ac cuſtodiæ demandavit, qva etiam nunc detinetur. Interim cum eius Celſit. de idoneo ſucceſſore ſollicita eſſet, ac ego dudum operam meam hiſce Eccleſiis obtuliſſem, mihi conciones Aulicae ſunt demanda-

tæ, quamdiu & ejus Celſitudini viſum fuerit, & vires meæ tulerint. Ego igitur juſſu Illuſtriſſ. mei Principis una cum Collegis cum ipſo in cuſtodia de ipſius calumniis contuli, ſed hactenus ſine fructu, libet profecto ad argumenta noſtra nihil ſolidi reſpondere, nec etiam noſtras ſolutiones ulterius impugnare poſſit. Quid Illuſtriſſ. Princeps de ipſo conſtituere velit, me latet. Egit D. D. Iac. Andreæ etiam cum M. GEORGIO CÆSIO, Paſtore, qui Calendaria ſcribit, & cum ejus privigno, M. ABDIA WICKNERO, qui meliorem informationem admiſerunt, & Dei gratia in viam redierunt. Is & nosmet in hac conſervet. Amen. Tandem cum Illuſtriſſ. videret, venenum hoc Calvinianum clam occultari, convocavit omnes Decanos hujus provinciæ ad Synodum, in qua librum Concordiæ de novo injungi ac ſingulorum ſcrupulos, ſi quos fovebant, per D. D. Jacobum eximi curavit, ac inſuper mandavit, cum quidam niterentur Corpore Doctrinæ D. Philippi, quo liber Concordiæ debeat eſſe norma doctrinæ, juxta quam ſcripta D. Philippi & aliorum ſint examinanda & corrigenda. Hæc intra tres menſes hic geſta. Sic Deus adhuc paſſim excitat pios Principes, qui ſinceram doctrinam fovent, & erroribus reſiſtunt. Tales nutrices Eccleſiæ ſuæ Deus clementer diu conſervet. Amen.

Sic igitur & ego jam hic vivo, & cum ultra biennium hactenus in viduitate vixerim, nec ea ratione quatuor meis liberis ſit conſultum, contraxi nuper matrimonium cum honeſta quadam

&

& pia virgine Norimbergenſi, qvæ proximo vinculo adfinitatis D. D. Iac. Andreæ attingit. Dominus huic pio vitæ generi ſua gratia aſpiret. Amen. Si non tanta itineris diſtantia intercederet, V. E. ad nuptias invitarem, qvibus tamen ut veſtris precibus adſitis, rogo. Heideccæ in meum locum alius S. Theologiæ Doctor ſucceſſit, nomine Chriſtoph. Moroldus, ſtipendiarius Principis. Deus omnibus nobis, in ſua vinea laborantibus, incrementum largiatur. Amen.

Denique, qvia hi tres Studioſi honeſta a ſuis Præceptoribus teſtimonia habent, ac unus ex eis, nomine Maximilianus Fabinus, Pogradenſis, a D. Bened. Belſio, Seniore Eccleſiaſte, & Inſpectore qvinqve civitatum in Ungaria Caſſaviæ, literis ad me ſit commendatus, qvi ſimul etiam mihi transmiſit Apologiam contra qvendam Calvinianum Ungarum, nomine Caſp. Pilcium, (cujus exemplar refert etiam V. E. dudum fuiſſe transmiſſum) Dominus & illas Eccleſias, in faucibus Tyranni Turcici conſtitutos, clementer a Calviniſmo, Arrianiſmo & Mahometiſmo cuſtodiat! Amen. Intercedo igitur pro hiſce Studioſis, ut V. E. eos etiam, qvantum in vobis erit, promovere dignetur. Qva ratione non tantum ipſis, ſed multo magis pauperum patrono, Deo O. M. rem gratam facietis.

Scripſit B. Lutherus biennio ante obitum epiſtolam ad illas Eccleſias, qvæ alias non exſtat. Ejus etiam mihi transmiſit: in ea ſe præclare munit contra Sacramentarios, ac ut illæ Eccleſiæ ſibi ab

isto spiritu diligenter caveant, monet. Inter alia scribit hæc verba emphatica: State, rogo, nolite dubitare, me nunqvam, (nisi me Deus furiosum fieri permittat,) sensurum esse cum adversariis Sacramenti, nec eam abominationem passurum in Ecclesia mihi credita: aut, si, (qvod avertat Deus) aliter fecero, vos cum fiducia dicite, me furiosum & damnatum esse. Valeat V. E. in Christo qvam optime.

De *Jac. Schoppero*, epistolæ hujus scriptore, & Professore qvondam Theologo Altorfino, ibidem an. 1616. ætatis 71. denato, videbis *Omeisii* Gloriam Altorfinam, *Zeltneri* Vitas Theologorum Altorfensium p. 58. & Historiam Crypto Socinismi Altorfini p. 57. & alibi, tum vero B. *Serpilii* Epitaphia Theologorum p. 87. sqq.

Utrumqve hoc volumen Historiæ Ecclesiasticæ illius ætatis, qva *Pappus* & *Schmidius* floruerunt, egregiam lucem fœneratur.

Vol. XIII.

est epistolarum maximam partem autographarum CCLXXIII. Saec. XVI. & XVII. a diversis ad diversos scriptarum. Primatum inter hos tenent *Bellajus*, *Berneggerus*, *Boeclerus* ad Illustrem *J. B. Colbertum*, *Boineburgius*, *Bongarsius*, *Boxhornius*, *Bucerus*, *Fr. Bened. Carpzovius*, *J. B. Colbertus* ad *Boeclerum*,

rum, *Flacius*, *Chriſtoph.* & *Wilh. Foerſtnerus*, *F. Gronovius*, *H. Grotius*, *Hoeſchelius*, *Hulſe-mannus*, *Kircherus*, *Rob. Koenigsmannus*, *Jo. Junojus*, *Meurſius*, *Phil. Mornæus*, *Elias Ob-recht*, *J. A. Portnerus*, *Jo. Pricæus*, *Franc. Ra-leſius*, *Beatus Rhenanus*, *Scipio Scaliger*, *Phil. Sidnejus*, *Jo Sturmius*, & *J.C. Wagenſeilius*. Extant qvoqve inter horum epiſtolas *IACOBI* M. Britanniæ Regis una ad *Iſaac. Caſaubonum*, *FRANCISCI*, Galliæ Regis ad Melanchth. *FERDINANDI*, Epiſcopi Paderbornenſis, duæ, ἀπόγραφοι altera ad Electorem Trevirenſem, altera ad Boineburgium, tum *Lutheri* una ad Caſp. Baierum, apographa & ἀνέκδοτος. Apponam hic *Colberti* illam ad *J. H. Boeclerum* gallice ſcriptam, & nomine ἰδιογράφῳ munitam.

Monſieur.

Sur le commandement, qve j'ay receu du Roy, de vous envoyer une gratification, pareille à celle, dont il a honnoré voſtre merite les deux dernieres années. Je joins à ce mot une lettre de change, qvi vous marqvera l'eſtime, qve Sa Majeſté continue à faire de votre ſcavoir, & pour vous confirmer dans la paſſion, qve vous aves desja tant temoignée de la rendre utile au public, a qvoy elle prendra plaiſir de vous voir de plus en plus con-

contribuer par vos ouvrages. C'eſt de qvoy vous peut aſſurer.

Monſieur,

Paris le 27 Aouſt 1665.

Votre tres humble & tres affectioné Serviteur

Colbert.

Latus illi claudat *Boecleri* ad *Colbertum* reſponſoria, ex ſimili occaſione, ſed alio tempore, ſcripta.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Heros, Domine Clementiſſ.

Chriſtianiſſimæ Regiæ Majeſtatis divinam & ineffabilem Muniſicentiam, qvæ tuo ſuffragatu miſſuqve iterum in me redundavit, pronus adoro, & ſubjectiſſima grati animi pietate veneror. Exemplo caret Monarchæ incomparabilis virtus, qvi ne Martem qvidem, cui omnia cedere non recuſant, nocere aut obſtare ſaltem Muſis patitur. Qvi armis ita utitur, ut jura pacis nuſpiam imminuat, hoſtes habere nullos, gloriam autem inter Reges & Victores adipiſci primam, eminentem, immortalem meretur. Cœleſtis ſummarum laudum fulgor adhuc ita præſtringit oculos generis humani, ut animos qvoqve obſtupeſaciat. Nemo tamen eſt, qvin omnibus conniti viribus cupiat, ut, qvando Regis Maximi ſortuna ſupra omnem referendæ gratiæ ſortem conſtituta eſt, poſteris certe conſignentur iſta beneficiorum miracula, qvæ mortalitatis menſuram ſupergrediuntur, nec niſi à Diis exſpectantur. Utinam in hoc ſtudio aliqvis poſſet eſſe tenuibus meis Muſis locus. Certe, qvic-

qvicqvid conari unqvam licuerit, Christianissimæ Regiæ Majestati sacrum devotumqve esto. Tua qvoqve in me merita, Illustriss. & Celsiss. Domine, tanta sunt, ut verbis exprimi neqveant, nisi forte confessionem debitorum, & reverentiæ officia accipere digneris ab eo, qvi est eritqve

Illustrisf. T. Celsitud.

Argentor. 26. April. 1668.

Jo. Henr. Boeclerus.

Addam ejusdem ad *Colbertum* epistolam aliam, sine die & consule datam, & ipsius manu scriptam, qva inter cetera de *Francisci Guicti* notis in Terentium, ab Ipso ad Boeclerum delatis, mentionem facit.

Qvin e paucis favore tuo dignus sit, qui nunc te veneraturus in Gallium adeoqve Lutetiam venit, GABRIEL SCHONMANNUS, eo minus dubito, qvo penitius jam ab aliqvot annis animum ejus introspexi. Credes, Illustriss. Domine, me qvoqve eadem opera admissionem petere, & in domo tua illustrissima sidera, teqve inter ea solem meum prono cultu propitiatum ire. Francisci Guicti vestri accuratæ in Terentium animadversiones, Tuo favore, & bona qvadam fortuna ad nos delatæ, qva par est fide & diligentia curabuntur: de celeritate, ut est Typographorum nostrorum captus, non possum magnifice polliceri. Dabitur tamen opera, ne moras trahat longiores opus tam exqvisitum, & de summo autoris, ad meliora translati, ingenio abunde testaturum. Qvanqvam enim nemo forte eruditorum creditu-

rus

rus ſit, ſemper ita ſcripſiſſe Terentium, ſicut ille ſcribi debuiſſe contendit, dignius tamen tanti Poetæ ingenio & certe ita concinnari potuiſſe omnia, non difficulter plerosqve puto judicaturos. Sed hæ ad veſtri potius Muſei, cujus arbitrio literatus orbis libenter acqviescit, exiſtimationem pertinent.

Patet hinc, audacisſimas illas, ſed ingenioſas *Guieti* in Terentium notas *Colberti* auſpiciis in lucem ptodiiſſe, Bœclero obſtetricante. Id vero factum eſt Argentorati 1657. 8. qvando *Guietus* biennio ante vivere deſierat. Ex qvo etiam de tempore, qvo hae Bœcleri literæ ſcriptæ ſunt, conjecturam facere licet. Illæ enim Guieti, ut fatis jam functi, mentionem faciunt.

Vol. XIV.

refertum eſt *Georgii Matthiæ Lingelsheimii*, Electori Palatino qvondam a conſiliis, epiſtolis, manu ejus ad varios ſcriptis, fere trecentis. Datæ illæ ſunt ad *Petrum Denaiſium* p. 1-18. *Hippolytum à Collibus* p. 19-89. *Jac. Bongarſium* p. 90-136. *Ottonem von Grünrad* p. 139-181. *Jo. Albertum*, Comitem Solmenſem p. 182. *Pleſſenium* 184-186. *Scipionem Gentilem* p. 190. *Jo. Gernandum* p. 191. 192. *Paulum Meliſſum* p. 193-206. *Jo. Loeſenium* p. 207-302. & Uxorem p. 303. Inter has exſtant *Marci Velſeri* ad Georg. Remum

Remum una p. 101. & *Dav. Hoeſchelii* una ad eundem, pagina eadem verſa, tum *Jo. Phil. Parei* ad Lingelsheimium duæ p. 304. & 305.

Conſtat inter eruditos, exſtare *Jac. Bongarſii* & *G. M. Lingelsheimii* epiſtolas Argentorati 1660. 12. editas, ex qvibus illa Bongarſii tum ad Lingelshemium, tum ad plures alios, hæc vero Lingelshemii ad unum Bongarſium datæ ſunt, ad qvem in hoc qvoqve volumine multas occurrere ex facta modo enarratione apparet. Inter illas vero editas nulla eſt earum qvæ in meis manu exaratis leguntur. Hae vero intra annum 1611. & 1612. tantum ſcriptæ ſunt. Hac occaſione moneo, habere me exemplum editatum illarum epiſtolarum, in qvo lacunas, deliberato conſilio relictas, præſtantisſimus *Uffenbachius* ex exemplo manu exarato ſuppleri curavit. Ut exemplo res conſtet ep. 12. p. 119. verſu 14. ita leges: *laborant Elector ac Mauritius Landgravius pro liberando Crellio, Cancellario Chriſtiani. Sed ille rem rejecit ad Ordines & Nobilit. profeſſus, ſe miſereri viri illius boni, qvod tamdiu carcere detineatur, uxorem* &c. Et. p. 120. v. 5. poſt verba: *ejus viri urgent*, adde: *Aemulationes apertæ in illa aula & factiones inter adminiſtratorios, & eos, qvi orientem Solem adorant. Interea magno in metu ſacer grex, ne novus Princeps aliqvid de tyrannide in*

con-

conſcientia ſua detrahat; ideoqve petitum à deſignato Electore librum Concordiæ ſubſcriberet, qvod facere ille negavit &c. Omitto cetera.

Deſcribam unam ex meis à *Lingelsheimio* ad *Bongarſium* Heidelbergæ 24 Nov. 1611. datam.

Recte mihi Argentorato miſſæ tuæ, V. Nov. datæ, cum horribili libello Concionum Jeſuiticarum, aliisqve ejusdem farinæ qvattuor. Gratias habeo maximas. BREDERODIO tradidi Loioliticum, & faciam, ut reliqvi qvoqve potiantur, una cum cenſura Sorbonæ, qvam dabimus publico. Indignor eſſe tot, qvi Jeſuitis laudem doctrinæ tribuant, qvum nihil ſit iſtis putidius & ineptius. Taceo enim blasphemias & ſcelera, qvæ diſcernere non eſt iſtorum. Antea autem acceperam tuas XV. Nov. Beas tu me aſſidue & gratiſſimis ſcriptionibus, & libris optatiſſimis, in qvibus habebo Molinaci pro Brittanno. Caſauboni qvoqve ad Frontonem avide exſpecto: ergo inane eſt, qvod Velſerus ſcripſerat de reconciliatione. In illa epiſtola Velſeri poſtqvam exemplum tuis incluſiſſem, animadverti poſtea, Galilæanum limbum ſcriptum fuiſſe, cum ſit tubus Galilæanus. Pergratum, qvod Narrationem addidiſti de Loiolitarum conatibus eluſis in virum doctiſſimum. De Aqvenſibus rebus nihil adhuc certi habeo: nihil noſtri ſerio pro republica agunt; ſed qverelarum nullus eſt uſus. &c.

Dignæ utiqve ſunt viri eximii & eruditiſſimi epiſtolæ omnes, qvæ lucem aliqvando

qvando videant. Vt enim de nitore dictionis non dicam, refertæ ſunt notitia rerum Eccleſiaſt. civilium & literariarum illius, qva ſcriptæ ſunt, ætatis. Accipe de illo *Berneggeri* judicium, qvod, *C. A. Heumannus*, Vir eruditiſſimus, ex ejus epiſtola ad Jo. Steinbergerum data, qvæ apud me nunc exſtat, Tomo II. Pœciles ſuæ lib. II. p. 243. exhibuit. *Florum meum*, inqvit, *propediem videbis. Feſtinandum enim mihi eſt: dum adhuc mihi copia ſuppetit illius venerandi ſenis, D.* Mich. Georgii Lingelshemii, *qvem ego & Catonem & Varronem qvendam Chriſtianum appellare ſoleo. Ita cum illum invicto in tot malis animi robore, tum hunc inexhauſta doctrina repræſentat, ut, non dicam, hæc urbs, ſed nec Germania parem, neminem certe ſuperiorem habere videatur. Ad hunc, ceu μαντεῖον qvoddam ἀληθέσατον referre ſoleo, ſi qvid mihi dubii ſuboritur.*

Vol. XV.

exhibet epiſtolas autographas CCL. XXXVII. a viris, maximam partem doctiſſimis, ſcriptas. Inter hos eminent Joach. Clutenius, Chriſt. Colerus, Chriſtoph. Forſtnerus, Jo. Freinshemius, Jo. Ludov. Miegius, J. Rebhan, Georg. Remus, Georg. & Nic. Rittershuſii, qvorum ſunt epiſtolæ qvadraginta, Melch. Sebizius, Zachar. Stengelin, Conſtant. Varnbüler,

büler, & Balth. Venator. Omitto ceteros, qvorum numerus ſexaginta ſuperat. Ex hoc Volumine, qvemadmodum & ex ſeqventi ſelecta qvædam ἀποσπασμάτια diligentiſſimus *C. A. Heumannus* Tom. II. Poeciles p. 197. ſqq. in lucem protulit, in qvem finem illi utrumqve Uffenbachius, tunc ſuperſtes, conceſſerat. Itaqve à pluribus abſtineo.

Vol. XVI.

itidem variorum virorum doctorum epiſtolas ad Berneggerum ſcriptas exhibet. Epiſtolæ ſunt CCXCVIII. ſcriptores vero circiter XXX. Sunt illi *David Clericus*, ep. 260-277. (inter qvas ep. 276. eſt *Danielis Clerici*, fratris *Davidis*) *Florim. Cruſius*, 283. 284. *Caſpar*, *Joachimus* & *Chriſt. Cunradi* 24-35. *Dan. Czepko.* 278-281. *Jo. à Czetritz*, 282. *Huldricus Dupeta*, (i. e. *Jo. Mart. Rauſcher*, de qvo mox,) 86. 87. *Henr. Hirtzwigius*, Rector olim Scholæ Francofurt. ad Mœnum, deinde Eccleſiaſtes Aulicus Butabacenſis in epp. 120-202. bonæ frugis plenis. *Pet. Meiderlin* Miniſter V. D. Kirchemii Teccorum, 220-228. *Mart. Mellius* 228-237. *Jo. Meinhardus*, Rector Scholæ Linzenſis, 243-259. *Metrophanes Critopulus* 36. & 37. Græce, *Frider. Monavius*, 204-218. *Conr. Rauſchart*, 78-82. *Jo. Mart. Rauſcher*, nunc ſub ipſo hoc nomine, nunc ſub aliis, v. c. *Hul-*

Huldrici Dupetæ, &c 83-114. *Marc. à Recklingven.* 238-242. *Dietericus Reinking*, 45. *Melch. Rinder*, 291-295. *Steph. Ritter* 296-298. *Robertus Robertinus*, 48-72. *Mart. Ruarus*, 47. *Eraſmus Scultetus*, 75-77. *Urbanus Scultetus.* 73. 74. *Jo. Ulric. Stieber*, 285-287. *Sam. Hyperander*, ſeu *Vebermann*, 288-289. *Mich. Virdungus*, 1-22. *Paulus Virdungus*, 23. *Benjam. Urſinus*, 46, & *Nicol. Wedelius*, 115-119.

Illa *Ruari* epiſtola non exſtat in duobus epiſtolarum ejus voluminibus, non ita pridem cum Hiſtoria Crypto Socinismi Altorfini, qvam Rev. *G. G. Zeltneri* induſtriæ debemus, recuſis. Heic vero ἀπόγραφον tantum illius epiſtolæ habetur, cui *Berneggerus* manu ſua ſubſcripſit: *hanc epiſtolam & alias plures, manu Ruari eruditiſſime ſcriptas, ſuffuratus eſt mihi infamis ille biblioclepte* D. C. S. Magnam ejus partem una cum aliis, ex hoc Volumine ſelectis, exhibuit *Heumannus*, modo laudatus l. c. p. 206.

Inter illas epiſtolas una eſt *Danielis Clerici*, qvi *Davidem* fratrem ſuum appellat. Data vero eſt ad Berneggerum an. 1620. eo conſilio, ut is ſibi de honeſta aliqva conditione apud typographos proſpiceret. *Aesculapii ſacris*, inqvit, *initiato gravitas auditus ex catarrho ſtudia mea interrupit, imo fortaſſe perdidit,*

certe medicinæ exercendæ ineptum me fecit Cogor itaqve παλινωδεῖν, & invitus licet Musis valedicere, ni alicunde spes affulgeat, aliam studiorum insistere rationem. Cum autem apud vos studia literarum calcant, & populosissima urbe mercibus exportandis mire opportuna plurimi sint typographi, si forte veterum Græcorum monumenta e βιβλιοταφοις eruere est animus, & publici juris facere, vel ipsis etiam Scholarchis Bibliothecam publicam ejusmodi thesauris, MSS. scilicet, animo sedet exornare, ego libencissime operam addicam iis emendate exscribendis. Non confundendus est hic Daniel Clericus, cum altero Daniele Clerico, qvi Genevæ an. 1651. Patre *Stephano* itidem Medico, natus, ibidem medendi artem cum laude fecit, variisqve libris editis inclytus 1728, æt. 88. diem obiit.

Vol. XVII.

in duos abit tomos, qvorum prior *Christophori Forstneri*, Cancellarii Momgelgardensis, epistolas continet apographas XLIX, ut plurimum bene longas qvæ ad historiam belli tricennalis, consecutæqve pacis Monasterienſis potissimum pertinent. Incipiunt illæ ab an. 1627. & perducuntur ad an. 1665. Scriptæ illæ sunt ad Berneggerum, Hier. Bignonium, Bœclerum, Buvinckhausium, Campanellam, Forerum, Wolfg. Forstnerum, Kœnigste-

ſteinium, Lentium. Mockelium, Dominic. Molinum, Moriſotum, Nic. Perdricium, Laur. Pignorium, J. A. Portnerum, Jo. Richelium, Cardinalem, Schering. Roſenhanium, Scipionem Scaligerum, Luc. Schickardum, Caſp. Scioppium, Tilemann Stellam, & Jo Wagnerum. Immiſtæ illis ſunt qvatuor aliorum epiſtolæ ad *Forſtnerum*, Anonymi una, n. 42. *Dominici Molini*, Senatoris Veneti, n. 3. *Caſp. Scioppii* reſponſoria n. 6. & *Tobiæ Wagneri* n. 46. Electa ex his habes apud Celeb. *Heumannum* in Pœcile Tom III. p. 61. ſqq. una cum integra *Tobiæ Wagneri* epiſtola, usqve ad p. 80.

Epiſtola ad *Nic. Perdricium* bene longa eſt, cui hæc ſubſcripta hic legis: *Epiſtolam hanc inter poſthuma GROTII opuſcula dudum publicavit Iſaacus Grunterus, de authore tamen ſubdubitans. Forſtnerus magno ſibi honori ducit Grotianum creditum, qvod ipſius erat.*

Porro epiſtolæ illæ ſex, qvæ ad *Scipion. Scaligerum*, Eqvitem, datæ hic exſtant n. 18-25. editæ ſunt Mompelgardi 1657. 12. ſub titulo: *Chr. Forſtneri epiſtolæ negotium Pacis Osnabrugo-Monaſterienſis concernentes*, eodem ordine, una cum illa ad *Scheringum* (in editis male *Scaligerum*) *Roſenhaan*, Oſtro-Gothis à Regina Præfectum, qvæ heic eſt 24. Seqvuntur in editis p. 107. tres *Forſtneri* ad *Portnerum*, qvæ in altero

noſtro Tomo leguntur. Illa ejusdem, qvæ ad *Boeclerum* Mombelicardi Kal. Jul. an. 1637. data eſt, longa & elegantisſima exſtat in Amœnitat. Cl. *Schellhornii* Literar. Tom. XIV. p. 501-532.

Tomus hujus Voluminis alter mutuis ejusdem *Förſtneri* & *Jo. Alberti Portneri* epiſtolis, argumenti maximam partem Politici, conſtat. Epiſtolæ ſunt 117. inde ab an. 1649. usqve ad 1666. exaratæ. In calce exſtant duæ ad Förſtnerum epiſtolæ *Jo. Henrici Urſini*, Antiſtitis olim Ratisbonenſis, bene longæ & eruditæ, qvarum alteram integram una cum ſelectis qvibusdam ex ceteris, exhibet Cl. *Heumannus* l. c. p. 80. ſqq. Ibidem p. 103. commode monetur, Vener. *Zeltnerum* in appendice *Salomes* ſuæ duas hujus Forſtneri epiſtolas ex codice MS. edidiſſe, qvarum altera cum noſtro hoc volumine confertur, & pasſim emendatur.

De *Forſtnero*, harum epiſtolarum ſcriptore, & inſignibus ejus meritis leges *Wittenii* Memorias Philoſophorum Dec. VIII. p. 493. *Reimannum* in Hiſtoria Literaria german. edita Part. III. Sect. 3. p. 174. J. H. *Boecleri* Muſeum p. 70. & Bibliothecam Fabricianam Parte VI. p. 85. Epiſtolas ejus ſelectiores Politicas editurum ſe recepit B. *Jo. Burchardus Majus* in præfat. ad Diſpoſitiones Schraderianas ejusdem ope-

ra recuſas: ſed illas me videre non memini. Exſtant tamen nonnullæ præter eas, qvas dixi, hinc inde diſperſæ, v. c. in *B. G. Struvii* Actis Literariis ex MSS. erutis, Fascic. VI. p. 29. De illis junctim edendis actum olim fuiſſe, conſtat ex epiſtola *Chriſtoph. Förſtneri*, fratris, ad J. H. Boeclerum data, qvæ apud me eſt *ἀνέκδοτος*. Ille vero in Germania edi nolebat, typographo periculoſum fore exiſtimans. In Belgio itaqve excudi ſvadebat. Vide locum in Pœcile Heumanniana, Tom. III. p. 255.

Jo. Albertus Portnerus, cujus heic exſtant epiſtolæ, a conſiliis erat Cæſareæ Majeſtati, Camerarius item & Proto-Scholarcha Ratisbonenſis, de qvo legere juverit *B. G. Struvii* præfat. ad Faſcic. II. Actorum ex MSS. erutorum. Adde *B. Georg. Serpilii* continuationem cogitatorum de hymnis, germanice editam p. 121. ſqq. atqve hinc Nova Literaria Germaniæ Tom. II. p. 433. ſq.

Vol. XVIII.

habet easdem epiſtolas *Chriſtophori Förſtneri* nominatim, ſeptem ad *Scipionem Scaligerum* unam ad *Scheringum Roſenhaanium*, tres ad *J. A. Portnerum*, unam ad *Wolfgang. Forſtnerum* & unam ad *Nic. Perdricium*, de qvibus ad Volumen proxime ſuperius diximus. Præ-

ter eas vero legis *Wolfgangi Foerſtneri* unam ad *Chriſtoph.* fratrem; qvædam *Harcourti* Comitis, *Anton. Perezii* ad Ducem Lermæ epiſtolam ex Hiſpanico à Förſtnero Latine converſam, itemqve duas *Luc. Holſtenii* ad *J. H. Bœclerum.* Præter hæc variæ exhibentur narrationes de ſuſceptis legationibus, v. c. *Tiepolii*, Legati ad Turcorum Imperatorem, & *Marini Cavalli*, Legati in Sabaudiam; ut alia argumenti politici omittam.

Inprimis notandæ ſunt literæ a Collegio Inqviſitionis Romano 20 Mart. 1659. promulgatæ, qvibus *Franc. Joſephus Burrus, Brandi*, Mediolanenſis, filius, ad rationem vitæ doctrinæqve reddendam citatur. Earum ἀπογεγραφον *Luc. Holſtenius* Roma una cum ſuis libris XII. Kal. Junias 1660. ad *Boeclerum* miſit, qvibus idem alias de eodem *Burro* agentes, X. Kal. Novembr. ſuccenturiavit. Poſteriores has habes in *Jo. Georg. Schelhornii*, V. C. Amœnitatibus Literariis, bonæ frugis plenisſimis, Tom. VI. p. 114. ſqq. ſicut p. 149. Decretum Inqviſitionis Romanæ, in eundem *Burrum* poſtea publicatum, legitur p. 149. ſqq. Non pigebit, credo, Lectorem, ſi has *Holſtenii* XII. Kal. Junias ſcriptas, ex αὐτογεγράφῳ apponam.

Clariſſ.

Clariſſ. & incomparabili Viro, Jo. Henr. Bœclero, Luc. Holſtenius S. P. D.

Non leviter officioſa tua humanitate me devinxiſti clariſſ. Bæclere, qvem & literis & amicorum ſalutationibus ſubinde compellas. Cum enim de ſtudiis ſcriptisqve tuis haud illibenter ex iis, qvi ad urbem accedunt, perqvirere ſoleam, commemorationem iſtam ut commendationis loco ſibi fuiſſe cognoſcant, obnixe, qvibus poſſum, officiis contendo, atqve illud do operam, ut, qvod virtus generisqve nobilitas meretur, tibi accepta referant. De Inſubro pharmaceuta, (Burrum innuit) *hactenus reſponſum diſtuli, qvod per adverſam valetudinem ea, qva par erat, diligentia rimari ac perſcrutari cuncta non licuit. Neqve enim ſolis vulgi rumoribus fidendum exiſtimavi, cum publicorum monumentorum teſtimonia reqviras. Videbis jam, qvid fidei qvæſtores, qvid prætoris Urbani officium homini intentent, tam ob hæreſis manifeſtæ crimen, qvam ob graviſſimam veneficii qvæſtionem; utroqve enim nomine fuit delatus. Nam, qvod Pontificis vitam doctrinamqve liberius arguendo gratia ejus ſe excidiſſe ait, merum commentum eſt, qvo Reipubl. veſtræ gratiam ac patrocinium exambiat. Neqve enim ipſe livor facile invenerit, qvod in ſanctiſſimis integerrimisqve optimi Principis moribus reprehendat; tum vero benignitatis & clementiæ mirificam ſvavitatem per annos complures experta atqve admirata fuit inferior noſtra Germania. Doctrinam qvoqve multiplicem & elegantioris etiam eruditionis*

cultum poemata, ſtilo terſiſſimo ſcripta, teſtantur. Niſi ſi religionis Catholicæ dogmata forte intelligat, ubi Summi Pontificis cauſam cum univerſali Eccleſiæ doctrina conjunctam eſſe quis non videt? Religioſiſſimus Sacerdos, qui literas has tradet, cetera ex vero narrabit, idemque prolixioribus verbis meum tibi animi declarabit affectum, quem & tuis & amicorum commodis offero ac devoveo. Vale.

Qui cauſam hanc Burrianam penitius perſpectam habere voluerit, illi conſulenda ea fuerint, qvæ præter *Schellhornium* l. c. B. *Elswichius* ad Epiſtolas familiares virorum aliqvot doctorum p. 85. & 91. ſqq. *Seelenius* ad Delicias Epiſtolic. p. 315. ſq. & *Struvius* Tom. II. Actorum Literariorum, Faſcic. I. p. 19. ſqq. tradiderunt, ut *Bælium* in Dictionario Hiſtor. Critico Tom. I. p. 653. & *Barthol. Cortium* in Notitia Scriptorum Medicorum Mediolanenſ. p. 184. omittam.

Vol. XIX.

dabit epiſtolas ad *Jo. Henr. Bæclerum* autographas CCXVIII. eorum, qvos ſecundum literarum ſeriem enarraturus ſum. Sunt illi *de la Blanche*, n. 118. *Baro de Borcke*, 135-137. *Jo Baptiſt. de Colbert* 110-117. *Erneſtus Pius*, Dux Saxoniæ, 109. *Jo. Erneſtus*, Dux Saxon. 108. *Chriſtoph. Foerſtnerus*, 67-83. *Henricus*, Filius 99-105. *Paulus Chriſtoph.* F. 94-98 &

98 & *Wilhelmus* F. 1-66. *Henr.* L. Baro *a Friſen*, 132, 133. *Weipertus de Gemmingen*, 124. *Conr. Chriſtoph. a Kœnigsmarck*, 125. *Comes de Lamberg*, 122. *Lebesque*, 121. *Meneſtrelius*, 119 & 120. *Buſſo a Munchauſen.* 134. *Axel. Oxenſtierna*, 107. una cum literis liberi commeatus in iter Bœcleri Svecicum, & *Helvic. Sinoltus*, vel *Schützius* 138-218. Septem illæ *Colberti* epiſtolæ gall. ſcriptæ, qvarum unam ſupra ad Vol. XIII. attulimus, ſemper certam pecuniæ ſummam, ex munificentia Ludov. XIV. Galliæ Regis, accipiendam, indicant. Ex duabus *Meneſtrelii* epiſtolis, & una *de la Blanchii*, qvas una cum *Colbertinis* illis accepit, patet, *Bœclerum* ſemper *nongentas libras Gallicas* accepiſſe. Ex hoc qvoqve Volumine ſpecimina qvædam ſuppeditavit Celeb. *Heumannus* in Pœcile Tom. III. p. 252. ſqq.

Vol. XX.

ſiſtit epiſtolas ad eundem *Bœclerum* autographas CXXXI. eorum, qvi ſeqvuntur, nominatim, *Jac. Brandmylleri* n. 121. *Chriſt. Frider. Franckenſteinii*, 124-126. *G. C. Kirchmaieri*, 115. *Andr. Kühnii*, 127. *I. G. Lenzii*, 127 & 128. *Caſp. Lilii*, 129. 130. *Iac. Mackleri*, 90-105. *Erici Mauritii*, 59-69. *G. C. Rhedarii a Radenfeld*, 70-90. *Chriſtoph. Schraderi.* 116 & 117. *Henr. Gottlob a Seckendorff* 46-58. *Viti Ludov. à Seckendorff*, 1-45. *Io. Georg. Styrzelii*, 106-114.

114. & *Stephani Wytnich de Muſay*, 118-123.

Non pigebit, credo, lectorem legere hic Ill. *Viti Ludov. à Seckendorf* epiſtolam ad *Bæclerum*, Gotha 29 Novembr. 1657. ſcriptam.

Poſt reditum meum ex Batavia, Excellent. Clariſſimeqve Bæclere, (eo enim mihi juſſu Principis menſe Septembr. eundum fuit) narravit mihi Magnif. Dn. Frantzkius, ſcripſiſſe ſe ad E. Tuam libelli iſtius cauſa, cujus deſiderium apud nos eo impenſius creſcit, qvo magis magisqve neceſſitatem ejus in Scholis noſtris qvotidie animadvertimus. Idem nudius tertius reſponſum E. Tuæ oſtendit, cujus hodie apud Principem mentionem feci, qvi ſane uti laboribus tuis, qvos Magni Regis cauſa ſuſcipis, obeſſe minime vult, ita tamen cuperet remoram non eſſe injectam propoſito illi, cujus gratia E. T. jam aliqvoties interpellavimus, qvo etiam ſine dubio Juventuti Scholaſticae, adeoqve bono publico ſummopere conſulitur. Neqve tamen graves erimus, aut intempeſtivi monitores, verum exſpectabimus, qvod nobis ſignificavit tempus. Egregie autem mereretur de Principe noſtro E. T. ſi interea de ſtructura opuſculi σκιαγραφίαν qvandam nobis dare, aut duas tresve pagellas mittere poſſet, non qvod ſpecimina poſtulemus ab eo, a qvo maxima qvævis & vidit, & ſperat literatus orbis; verum ut eo facilius moram ferre, & ſi qvid ex privato ſcholarum noſtrarum uſu ab E. T. ulterius petendum eſſet, commodius

dius interea cogitare posſimus. Sed neqve huic petito deſerat E. T. niſi qvatenus ſine moleſtia fieri poterit. Scio enim, qvam difficile ſit, operam ejusmodi alterius arbitrio accommodare. Qvæ de FRISCHMANNO ſcripſit E. T. ea gaudeo congruere judicio meo, qvod de hominis iſtius protervia apud amicos qvosdam ferebam, cum nuper Francofurti eſſem. Eo enim ipſo tempore vulgabatur Collegium illud Electorale, reverſoqve mihi ex Hollandia offerebatur alterum illud de Deputatis Imperii, qvorum utrumqve non ſine ſtupore probari ibi videbam, Viris qvibusdam, per qvos nunc vere graviſſima Reipublicæ negotia tranſigi creduntur. Id qvoqve mirabar, adeſſe Fiſcalem, qvem vocant, Imperii, & noſſe, uti dicebatur, Typographum, illas nugas publicantem, nec officii ſui meminiſſe. Mihi ſane, qvis ſit Friſchmannus ille, cujusqve rei gratia proſtituat ingenium ſuum, parum notum & extra curas eſt. At ſi tempus ſubducere potuiſſem occupationibus meis, qvas crebras potius, qvam magnas habeo, vix temperaſſem mihi, qvin impudentiam hominis ſcriptiuncula aliqva aggreſſus eſſem. Utut enim parum inſtructus ſim adminiculis illis, qvi limatum aliqvid & doctis placiturum producant; id tamen ego non exiguo labore, ne earum rerum, qvæ ad Statum Reipubl. & Principum ſpectant, prorſus ignarus eſſem, aut optimas partes non amarem. Verum, uti ex literis E. T. conjicio, ab ingenio feliciori, & judicio conſummatiori exſpectandum erit, ut larva detrahatur fumivendo iſti

qvod

qvod uti fiat boni publici cauſa maximopere cupio &c. Vale.

Libellus ille, qvi heic à *Boeclero* expetitur, ſcholaſticus erat, & ſpeciatim ad rationem Claſicos auctores recte tractandi referri debebat. Id ex epiſtola intelligo, qvam *Seckendorfius* ad Bœclerum 28. Martii, ejusdem anni, dederat. De *Jo. Friſchmanno*, Conſiliario qvondam Ducis Mompelgartenſis, deinde vero Regis Galliæ apud Argentoratenſes miniſtro reſidente, cujus heic mentio eſt, vide nonnulla ex literis Pruſchenckianis in *B. G. Struvii* Actis Literariis Tom. I. Faſcic. VII. p. 70.

Vol. XXI.

continet *Jo. Chriſtiani Lib. Baronis a Boineburg* epiſtolas autographas CCLXXV. qvibus accedunt duæ, altera ad *Ulric. Obrechtum*, Bœcleri generum, altera ad *Sam. Boeclerum*, *Boecleri* filium, de obitu illius datæ. Has ſeqvuntur ipſius *Boecleri* epiſtolæ itidem autographæ inde ab ep. 278. ad 389. qvas ad Principes, varios, Nobiles & eruditos miſit deſcriptas, qvarum indicem texere tædioſum magis qvam utile fuerit. In his tamen epiſtolis varia ejusdem *Boecleri* alia exſtant, v. c. conſilia, programmata, allocutiones &c.

Non pigebit hic deſcribere *Boineburgii* epiſtolam ad *Ulric. Obrechtum* & *Sam. Boeclerum*

rum, de obitu J.H. Boecleri, hinc ſoceri, hinc nati, datam.

Qvantum me perculerit nuntius de obitu veſtri non modo, ſed ipſarum bonarum in Germania literarum parentis, Bœcleri noſtratis, exprimere ſatis non poſſum. Scio, qvid ſtudiis ſolidioribus, qvid Vobis, qvid Argentorato, qvid etiam mihi, filioqve meo deperierit hoc flebili & inopinato caſu. Deus, illi æternum ut bene ſit, clementer dabit. Orandus vero eſt, ut alium nobis ſufficiat doctorem, cujus fundamenta perinde firma ac patriæ opportuna ſint. Reliqvit optimus vir poſteris cum editos, tum qvoqve anecdotos libros, qvibus egregie proficere poſſunt, ſi qvi id operam dare volunt. Legi manuſcriptos, qvorum miſſu me exhilarare voluiſtis. Inſtitutiones Politicas *ante omnia edi optarem, utpote qvæ nos ad verum guſtum uſumqve prudentiæ veterum provehere idoneæ ſint. Si qva ex reliqvis ejusdem argumenti ſcriptis indi illis qveant, non erit id utiqve abs re. Etſi ei libellum memorialem, qvippe qvi pari ad antiqvitatis modum inſtituto ſcriptus ſit, ſubjungi conſuluerim. Qvæ ad Lipſium, Cellarium, tum ad veteres notavit, ſeligantur, ibidemqve accudantur, ut inde corpus prodeat uno volumine ſub titulo* Practicæ Doctrinæ. *Neqve diſvadeam, ſimul qvoqve edi, qvæ ad Ott. Lap. &c. collegit auctor optimus, qvibus qvidni ſubjiciantur hiſtoria Sec. XVI. & index controverſiarum illuſtrium Seculi poſt C. N. XV. niſi malitis* Hiſtorico *voluminis hæc poſteriora attexere, qvod conſtare poſſet*

Hiſto-

Hiſtoria *Univerſali a mundi conditu ad Chriſtum natum, deinde ad initia Seculi V. Cui* & Dano-Svedica & Turcica, & Fridericiana, (*niſi ſeorſum legi mercantur*) & Index Impp. Roman. & *qvæ in Antiqv. hiſt. exſtant, inſerenda videbuntur. Qvorum pars ut itidem fiat* Notitia de Auctoribus, *auſim ſvadere. Nihil velim perire hujus Viri. Veſtrum eſt curare, ut probe edantur, præſertim* Grotiana: *qvod peculiari nomine rogo vos & obteſtor. Vicisſim ero vobis omnibus & ſingulis, fidus & conſtans amicus.*

Epiſtolas *Boineburgianas* amplam meſſem egregiarum varii generis obſervationum ſuppeditare nemo dubitaverit, cui de viri doctrina pariter & ingenio alias conſtet, qvive legerit excerpta ex volumine epiſtolarum *Boineburgii* & *Pruſchenckii* mutuarum, qvæ *Struvianæ* & *Heumannianæ* induſtriæ debemus in Actis Literariis Tom. I. Faſcic. III. p. 1. ſqq. & Faſcic. VII. p. 29. ſqq. De ipſius *Boineburgii* vita & meritis in literas leges præfationem ad Faſciculum III. Actorum, qvæ dixi. Dolendum utiqve eſt, Virum cerera egregium ſua ad Pontificios defectione & ſibi nocuiſſe, & non paucos offendiſſe, qvam in rem legas diligentiſſimi *J. H. Selenii* obſervata ad Delicias Epiſtolic. p. 326. Fluctuantem adhuc revocare ab inſtituto conatus fruſtra eſt *Herman. Conringius* duabus

bus epiſtolis, qvæ exſtant in Actis Literariis Struvianis Tom. II. Faſcic. V. p. 114. ſqq. Qvas idem ad *Jo. Conradum Dietericum* dederat epiſtolas, eas luci expoſuit *R. M. Meelführerus* Norimberg. an. 1703. 12.

Vol. XXII.

ejusdem *Boinebürgii* ad *Boeclerum* repræſentat epiſtolas autographas LXXXVIII. prioribus illis copioſiores fere & luculentiores. Scriptæ illæ ſunt intra annos qvatuor, qvi ab an. 1660 ad 1664. decurrerunt.

Commode incido in epiſtolam XXCIV. 13. Mart. 1663. datam & bene longam, ex qva potiora delibabo.

De Baconi *Augmentis ſcientiarum oblitus es dicere, qvid ſentias, imo qvei iis utendum exiſtimes. De* Herberto *mitius ſentis, qvam putaram, melius certe, qvam de* Hobbio: *& merito.* Thomæ Angli *qvædam ſubjuncta Digbiæ ſunt de animi immortalitate. Theologica ſeorſum exſtant. De* Athanaſio Kirchero *&* Caſp. Schotto *aſſentior. In Mathematum pulvere hic per eſt exercitatus, uir probus & aſſiduus, mihi notus intime. Illi ſi plusculum veteris doctrinæ præſto foret, ingens eruditioni ipſius inde fieret acceſſio. Niciana tibi æſtimata eo pluris deinceps pendam. Terſa & nitentiſſima latinitate omnibus palmam* Roſcius *ille præripit. In epiſtolis nimia eſt, & multum affectata, extra modum indolis extemporaneæ, cujus gratia potiſ-*

ſimam illis venerem conciliari ac jucunditatem quis neſcit, qvis negat? Cetera librorum ejus, in diverſas qvaſi claſſes tributio perplacet. Pinacothecæ ejusmodi utinam plures exſtarent! De Seckendorfio *in mentem venit, ejus ne Sacra Veteris Fœderis hiſtoria qvid tui agnoſcit? Non dubito, eruditam, qvalis tua eſt, manum illi pariter inerraſſe. Reliqvam Eccleſiæ à CHRISTO hiſtoriam propediem præſtolabimur. Vellem* Godavii, *ſeu* Godelli, (*de Godeau*) *qvam recens Gallia Lutetiæ edidit, haberes. Multa inde lux. Sicut enim ſobrie & accurate, ſemotis vulgi credulitatibus, res enarrat; ita & cubilia indicat, unde vera de religionis fundo factoqve arceſſenda judicatio venit. Medius* Baconii *inter ſcrupuloſitatem atqve* Caſauboni *licentiam incedit. Pius ſine ſuperſtitione & hypocriſi; eruditus absqve oſtentatione & procul ſupercilio; Theologus cum ſcientia, criticus intra modum, & citra fel. Si qvis proinde compendium ex illo conſtruere volet, luculentius utiqve operæ curæve pretium faciet, qvam Breviatores Baroniani, aut Vorburgiani, aut etiam ipſius, cetera bene curti, Spondani. Kerſchero nuper Francofurti reſpondi, primusqve literas ſcribere redorſus ſum in redintegramentum interruptæ, maligno meo fato, converſationis epiſtolicæ, qvam autidhac, te conciliatore, auſpicari haud infauſtis avibus ſumus. Doctrinæ ſolidioris per eſt amans, & literarum rectis ſenſibus bene tinctus, compoſitiqve animi eſt ille Kerſcherus. Multum ipſi debeo, utpote cujus ope ac opera*

Urſino

Urſino qvoqve innoteſcere meruerim: de qvo vi-
ro præclare, uti meretur, ſentio. Eſt enim in-
ter eruditos Germaniæ non vulgare nomen, & vi-
detur antiqvæ ſapientiæ veſtigia ſeqvi. Amabo,
qvid cenſes? Praſchius *qvidam nuper librum*
publicavit de patriæ charitate. Cujas is eſt, qve
item filo ſtudiorum? De libello ipſo qvid ſentis?
Sapit diſciplinam Bæclerianam, puta erectam il-
lam & rectam atqve compactam. Bene eſt, qvod
illa paulatim percrebreſcit, atqve diffunditur alio
vorſum. Boſius Jenæ, alibi alii illam probe in
uſum ſolemqve proferunt, & Bæclerum ducem
ſeſe nactos cum gloriabuntur, tum longe plurimis
utile efficient, efficientqve, ut reviviſcant qvaſi
vel ipſi patriæ noſtræ gloriæ maximi olim hoc ſecu-
lo vindices, Berneggerus, Barthius, Buchnerus,
Freherus, Goldaſtus, Hortlederus, Caſelius,
Heidmannus, Conr. Rittershuſius, Wolverus,
Lindebrogii, Holſtenius, Virdungus, Piccartus,
Scioppius, Freinshemius, ut de ſuperioris ſeculi or-
namentis nihil dicam, Melanthone, Joach. Came-
rario, Sturmio, Frid. Tilemanno, Sleidano,
Georg. Fabricio. Helvetios & Belgas ne memo-
rabo qvidem. Neqve dicam de hujus ætatis lu-
minibus, & veræ eruditionis veris, qvorum tu
principe mihi loco, columinibus, hodieqve ſuper-
ſtitibus, qvos inter eminent Reineſius, Gronovius,
Lambecius, Conringius, ceteriqve bonæ doctrinæ
fautores, atqve cumprimis tuum inſtudio modum
ſeqvi ſueti. Dum nihil habeo, qvod mittam (et-
ſi nec tu chartacei qvicqvam mittas,) ecce, accipe

orationem istanc, in laudem Barthii dictam, quam retinebis. Non autem displicebit. Barthii libros ineditos, praesertim Adversariorum reliquos, queis commentaria in Civitatem Dei S. Augustini interserta visuntur, & commentarios in Juris Justinianei Institutiones furunculus quidam abstulerat, qui cum vidua Barthiana jus experta secundum se obtinuit sententiam, & omnia, Deo laus, recuperavit. Quaeso, circumspice, numquis exprimere suo impendio velit, vel omnia, vel in S. Augustini C. D. vel super Justinianeas Institutiones. Reinesio *perhibent allubescere morem, Barthio barbam mortuo vellendi, uti jam tum quoque, cum adhuc iste superaret, in Variis ille suis facere Lectionibus occupavit. Subscriptionum vasto operi jam insudat, otium suum impendere forsan melius, si vellet, posset.* Henschenius *vir doctus & defaecati judicii est, in libris scribendis singulari prudentia valet, & simul accurata & profluente commentandi facultate. Si quid cum voles, perscribe literas, & mihi curandas manda. Ceterum antequam receptui nunc canam, scias velim, hic in vicinia sub Bipontino vivere senem egregie literatum, & Latine inprimis disertum,* Balthas. Venatorem, *de quo quid judices, audire percupiam. Panegyricum ejus in Manes Jani Gruteri, et plusecula vidi alia, facundissime conscripta, & facilitate dictionis amoenissima. Seckendorfii apologemate Erfurtino nostro negotio nebulas offusum iri, non dubito. Ut sui cuique defensio cordi sit, nemo consideratus*

tus bonusqve diffitebitur, æqvum & fas esse. At decebat & jure niti. Saxones ecqvo jure freti alienis subditis in obstinatione probrosissima durandis, enavant operam? Scribat Apologetica optimus Seckendorfius, *qvotqvot & qvanta volet cunqve, dummodo cuncta mei laudatione abstineat. Ea qvippe rebus his meis multum nocerentur.*

Qvod de historia V.T. (qvæ in Compendio Histor. Eccles. Gothano exstat,) suspicatus est *Boineburgius*, Bœcleri scilicet aliqvas in his partes esse, in eo qvidem conjectura sua falsus est. Illam enim historiæ partem uni *Seckendorffio* deberi, *Tenzelius* ex ipsius ore testatur in Bibliotheca Curiosa an. 1705. p. 815. Id vero certum est, *Bæclerum* continuationem Historiæ Ecclesiast. N.T. à *Seckendorfio* tunc jam inchoatæ, ultro in se suscepisse. Id qvidem intelligo ex epistola *Seckendorfii* an. 1662. d. 29. Maji data, qvæ est XVII. in Vol. XX. supra enarrato, & ita incipit: *Primo qvidem tam gratum fuit Principi nostro* (Gothano) *qvam qvod gratissimum, cum intellexit, te continuationem Historiæ nostræ Eccles. in te esse recepturum. Ut itaqve bene cœpta propere & pronte succedant, tuum erit, qvam primum conditiones scribere, qvibus hanc operam nobis præstiturus sis.* Respondet Bœclerus, qvinto die Junii, cui *Seckendorfius* d. 15. ejusdem mensis hæc rescribit: *Collocutus sum*

eum Principe : is iterum teſtatus, gratiſſimam ſibi eſſe operam tuam, centum Imperiales lubens dare promiſit. Solvet præterea impenſas deſcriptionis & transmiſſionis. Aggredere itaqve hono eum Deo, tuisqve, ut ait ille, audax virtutibus, ſuſceptum laborem. Methodum & formam operis tenes: diſtributionem capitum tamen, qvam ego meditatus fui, paucis, &, ut vides, feſtinanter delineabo. Duo jam capita elaboravi. Primum, proœmii loco, continet enarrationem idololatriæ Gentilium, & ἱεροδοξίας Judaicæ, circa tempora nati Chriſti. Alterum hiſtoriam τῆ διανθρώπε ex IV. Evangeliſtis concinnatam. Ordieris itaqve à tempore illo, poſt reſurrectionem nempe Domini, caput tertium. Id finiendum cogitaveram in morte ultimi Apoſtolorum D. Johannis. Quartum perducturus eram ad tempora Concilii Nicæni : qvintum ad Phocam ; Sextum ad Hildebrandum, Septimum ſive ad Huſſi, ſive ad Lutheri ætatem : nam ultimum hoc maximum laborem reqviret, qvod per varias mundi partes hiſtoria extenditur, multaqve memorari poſſunt hoc ſeculo, ob copiam Scriptorum, cum antiqviora iis fere deſtituantur. Sed ego in his nullum tibi præceptum do, ſed judicio tuo omnia permitto. Transmittam vero, qvamprimum potero, capita illa duo, ut, ſi placet, iis utaris, tuaqve connectas. Bœclerum poſtea hæc duo capita accepiſſe à *Sekendorfio*, conſtat ex hujus epiſtola 12. Octobr. 1662. ſcripta. Ibi enim hæc lego : *Rem gratam omnino feciſſes, ſi monere*

qvæ-

quædam voluiſſes ad capita illa H. E. à me elaborata; ſed non tam voluntate, qvam tempore, deſtitutum te fuiſſe confido. Neqve dubito, *Bæclerum* capita illa adhibuiſſe. Prout enim ea heic deſcribit *Seckendorfius*, ita omnino in *Compendio Gothano* exſtant. In reliqvis tamen capitibus a delineatione Seckendorfiana diſcesſit. Porro in literis, d. 4. Jun. an. 1663. ſcriptis, ita Seckendorfius: *Interim curabo, ut propediem Tibi centum Imperiales, qvos pro Hiſtoriæ Eccleſ. elaboratione promiſimus, prænumerentur. Potes interim, hoc promiſſo meo nixus, pecuniam, ubi & qvomodo licebit, ſumere. Dimpfelius noſter nudius tertius huc venit, cujus opera Tibi ſine mora refundentur illi, qvos dixi, centum Imperiales. Sub finem tamen laboris tui in Hiſtoria illa ſpero me effecturum, ut 50. ad minimum Imperiales addantur.* Confecerat *Bæclerus* operam omnem, qvo nomine ipſi gratulatur *Seckendorfius* in ep. d. 6. Junii 1664. ſcripta, his omnino verbis: *Qvod labore ſcribendæ Hiſtor. Eccleſ. tandem defunctus ſis, gratulor, aut potius Sereniſſ. Principis, meoqve & Scholæ noſtræ nomine, gratias ago. Ut ſumtuum laborisqve Tui ratio habeatur, impetraturum me a Principe eſſe ſpero, ut 50. Imperiales, qvos hujus operæ & notarum Ciceronianarum nomine deſtinaverat, Tibi ſolvantur, nulla tamen in notas Ciceron. obligatione.* Imperiales illos 50. recte ſolutos eſſe conſtat ex ep. 4. Jul. an. 1664. data: *Nummi tui recte*

ſunt curati per qvendam, qvi ſe Schombarti mandaturum dixit, apochamqve tuam mihi exhibuit. Atqve iſta ſe ſatis recte habebunt. Hæc ad hiſtoriam *Compendii* illius *Gothani* luculentiſſimi, adferre curatius libuit, ex qvibus exiſtimari poteſt, qvid habendum ſit de *Eyringio*, in Vita Erneſti Pii c. 15. affirmante, Bœclerum illius laboris, ducentis Imperialibus mactati, directorem fuiſſe, *Seckendorfium* vero V. T. & *Artopoeum* N. T. hiſtoriam conſignaſſe. *Artopæi* certe nusqvam in literis Seckendorfianis mentio fit, qvamvis fortaſſe Bœclerus eum in ſocietatem operæ pertraxerit, qvod ex Seckendorfii ore teſtatur *Tenzelius* l. c. Qvi plura de hac cauſa cognoſcere voluerit, illi poſt *Placcium* in Theatro Anonymorum p. 276. conſulendos ſuaſerim Rev. Reimannum in Introduct. vernacula ad Hiſtoriam Literariam Germanorum Part. III. Sect. III. p. 674. Cl. *Heumannum* in luculento Schediasmate de libris Anon. & Pſeudonymis p. 125. auctorem des Unpartheyiſchen Bibliothecarii Sect. IV. p. 304. & *Dan. Godofredum Schreberum* in Hiſtoria vitæ ac meritorum Seckendorfii, p. 162. ſqq. Tranſeo ad

Vol. XXIII.

epiſtolis Virorum, maximam partem clariſſimorum, autographis, ad *Bœclerum* refertum eſt. Epiſtolæ ſunt CXXXVIII. Scri-

Scriptores vero circiter LXX. Inter hos eminent *J. V. Andreæ*, *Christoph. Arnoldus*, *Paul. Barbette*, *Barthius*. *Io. Buxtorfius*, *J. G. Dilherr*, *J. G. Dorscheus*, *Jo. Fechtius*, *Jo. Freinshemius*, epp. septendecim, *Jo. Frider. Gronovius*, epp. tribus, *Nic. Heinsius*, *Jo. Loccenius*, *Jobus Ludolfus*, *Heinr. Meyerus*, epp. 5. *Jo. Philip. Mullerus*, *Car. Patinus*, *Jo. Ludov. Praschius*, *Jo. Ulr. Pregitzer*, *Jo. Schefferus*, *Frid. Spanhemius*. *P. J. Spenerus*, *Jac. Thomasius*, *Elias Veielius*, *Jo. Vorstius*, *G. H. Ursinus* & *Jo. Jac. Wepferus*. Adferam ex his qvædam ex B. *Jo. Georgii Dorschei*, Theologi insignis, epistola, Argentorato ad *Bæclerum*, tum temporis Stockholmiæ degentem, an. 1649. 25. Jan. data. Nunciat is illi, relatum sibi esse, Sereniss. Sveciæ Reginam consilia agitare de Academia qvadam in Archiepiscopatu Bremensi constituenda; se itaqve operam suam per D. *Sculteum*, Theologum Pomeranum, Dn. Lilienstrœmio, Præsidi Consilii Pomeranici, obtulisse; hunc qvidem ad Reginam & Archi Cancellarium Regni ea de re scripsisse, posteavero has difficultates movisse, qvod a Senatu Argentorat. missionem vix videatur impetraturus; porro autem non nova Academia condenda, sed Gryphiswaldensis tantum instauranda sit, salarium deniqve 400. aut 500. Joachimicorum non suffecturum ipsi videatur. Sed vel sic tamen *Dorscheus*

desiderium suum aliovorsum eundi ita exponit: *Argentorato, uti ipse intelligis, sic in deterius subinde labentibus rebus, extrudor. Itaque circumspexi, quorsum collocarem fortunarum sedem. Difficultates, quas Dn. Lilienstræmius objecit, expeditu faciles videbantur. Senatus noster cupit Synagogam cum honore sepultam, & aegerrime tolerat impendia Academica. Nec me potest ullo prætextu retinere, nullo beneficio obligatam. XXII. annorum laboribus existimo me satis compensasse, quod patriæ debeo. Familia mea translatu facilis erit. Potero secundo fluvio, ex ædibus, quas habito, in Oceanum eam deferre, & inde vel in Pomeraniam, vel aliorsum transferre. De salario Sereniss. Reginæ clementia prospiciet. Inclinaret animus in Academiam, si honesto loco collocarer. Non poterit mihi male esse sub ea Regina cui Germanicus, imo Europæus orbis salutem suam debet. Dico aperte: sequar vocaturam. Impedimento erunt debita mea, quibus pares, & vigecuplo superiores essent facultatet meæ, si & ærarium, quod debet, solveret, & Capitulum, & possessiones agrestes suum nunc haberent emtorem. Nondum autem constare potest, quanto ea redimere queam. Nescio enim adhuc dum, quid obtenturus sim, si mea translatio innotuerit. Poterit tamen de eo in eventum disponi, ut huic remoræ occurratur. Non possum autem dissimulare, qva methodo vocatio mea instituenda sit. Fui ante menses aliquot Witteberga vocatus in locum D. Lyseri defuncti, ut & nunc*

nunc ibi primaria profeſſio Theologica vacuefacta offertur. Iſtud communicavi cum Dn. Præſide noſtro. Is feria tertia Pentecoſtes prolixo excurſu omnes translationes damnavit, qvæ fierent inconſulto eo Magiſtratu, ſub cujus jurisdictione vocatus vivit, & qvas amplecteretur, cui offeruntur, antequam vocans Magiſtratus à Magiſtratu vocati aſſenſum impetraſſet. Plerique intellexerunt, qvi notarentur. Igitur, ſi bona illius pace diſcedendum, a Senatu Argentoratenſi poſtulandus ero.

Hinc intelligetur, qvibus cauſis adductus ſit vir optimus, ut de mutanda rerum ſuarum ſede cogitaret. Neqve tamen voti ſui tunc temporis damnatus fuit, ſed qvadriennio poſt, nempe anno 1653. a Guſtavo Adolpho, & ceteris ducibus Mecklenburgicis in Academiam Roſtochienſem, declinante jam ætate, vocatus, die 30. Septembr. Argentorato valedixit, anno vero ſeqvente, die 22 Februar. Roſtochium delatus eſt, ubi an. 1661. 25. Dec. vitam cum morte commutavit. Quæ ejus initia Roſtochii fuerint, qvive progreſſus, ex literis *Dorſchei* ad *Menonem Hannekenium* diſces, qvas laudatiſſimus *Seelenius* in Philocalia ſua epiſtolica p. 113. ſqq. ſuppeditavit. Per *Præſidem*, cujus in his literis eſt mentio, indicatur *Jo. Schmidius*, Theologus tunc Argentoratenſis primarius & Conventus Eccleſiaſtici Præſes.

Vol.

Vol. XXIV.

Suppeditat epiſtolas ad eundem *Bæclerum* autographas CCXCVI. inde ab an. 1630. ad 1640. a viris maximam partem eximiis & doctis numero circiter XXC. ſcriptas. Potiorum nomina hæc ſunt: *Jo. Valent. Andreæ* epp. 18-40. *Berneggeri* una, *Boxhornii* 61-65. *A. Buchneri* 55-58 *Jo. Buxtorfii* 43-51. *Chriſtoph. Coleri* 198-200. *Nathan. Dilgeri*, 88-90. *Chriſtoph. Forſtneri*, 7-10. *Wilh. Forſtneri*, 232. *Jo. Freinshemii*, 51-55. *Jac. Gothofredi* una, 11. *Jo. Frider. Gronovii* 57-60. *Menon. Hanneckenii* 41. 42. *Joach. Hechtii*, 239-246. *Jo. Heniſii*, 92-99, *Th. Lanſii*, 12-13. *Jo. Loccenii*, 73. *Jo. Meelführeri*, 172-174. *Chriſtophori Meelführeri*, 175-191. *J. M. Moſcheroſch*, 192-194. & 237. *J. M. Rauſcheri*, 69-72. *Jo. Rhodii*, 72. *C. A. Ruperti*, 81. 82. *Jo. Sauberti* 14-17. *Sam. Schalleſii*, 202-206. *Jo. Schefferi*, 274-286. *Chriſtoph. Schraderi*, 83-85. *Schultziorum, nempe Jo. Helvici*, 227-230, & *Juſti Sinolti*, 165. 166. *Frid. Spanhemii*, 74-76. *Jo. Jac. Stockari* 258-273. *J. G. Styrtzelii*, 106-165. *Dan. Toſſani* 216. *Jo. Jac. Wepferi*, 219. 220. & *Jo. Rud. Wetſteinii*, 91. Agmen ducunt epiſtolæ, *Sylvii*, Ducis Wurtenbergici una, & *Jo. Friderici*, Comitis Eberſteinenſis, duæ. Ex hoc volumine ἐκλογὰς qvasdam dedit ſolers *Heumanni* induſtria in Pœcile Tomo III. p. 409. ſqq. Qvid obſtat, qvo minus *Jo. Sauberti* aliqvam

qvam ex pluribus deſcribam, qva qvid de *Boeclero* & nonnullis aliis ſentiat, dextre exponit. Scripta illa eſt 20. Septemb. 1642.

Animum erga me tuum, Cl. & Excell. vir, tam amantem & propenſum amplector, atqve exoſculor, qvamvis ea omnia, qvæ de me prædicas, nunqvam agnoſcam. ἀδεὶς εἰμι. *Cæterum, poſtqvam tua, qvæ bono publico hactenus donaſti, avide collegi, legiqve, difficile dictu fuerit, qvantus meo in te amori acceſſerit cumulus. Bone Deus, qvam oleum lucernamqve, qvam demorſos ungves illa omnia reſipiunt. Reliqva nolim hic ex me intelligas, qvia alio ablego ob evitandam adulationis ſuſpicionem. Sed & tua in Gutbrodium humanitas gratias meas meretur, fideliter memoriæ noſtræ inhæſura. Amo juvenem, & ſaluto.* De Grotio & Salmaſio *prudenter ac circumſpecte, ut ſoles omnia, monuiſti.* Πάνσοφοι ἄσοφοι, *& qvi procul à ſe, ut Qvintilianus ait, aliis ingenii felicitate relinqvunt, ſæpe etiam ſe ipſis deſtituuntur.* De *qvo argumento* J. V. Andreæ *copioſius ad te ſcribet, opinor.* Dillherrum *Collegam habemus Scholis noſtris præfectum, qvod felix fauſtumqve ſit! Ita tu qvoqve, amicorum doctiſſime, & doctorum amiciſſime, feliciter vale, vigeſce, floreſce.*

Ex *J. V. Andreæ* epiſtola, 2 April. 1639. ſcripta, perſpicio, eum de *Bæclero*, Tubingam vocando, cogitaſſe. *Qvo nomine*, inqvit poſt alia in laudem ejus ſcripta, *neſcio*

Ar-

Argentinæ veſtræ gratuler, an invideam, qvæ, ut audio, minoris hæc, qvæ mihi maximi ſunt, æſtimat, & parciſſime penſat, cujus injuriæ Panegyricum illum Schmidianum, nullo auro contra habendum, teſtem aiunt. Utinam vero animum ad renaſcentem noſtram Tubingam convertas, cui maſculum dicendi genus pro elumbi illa ſive garrulitate, ſive balbutie conferas, in qvam rem, qvicqvid a me exſpectari poteſt & ſtudii & operæ & ſubſidii, libens ac omni niſu contulero. Fac, ſciam, qvod ad nos inclines, & amicum experiere. Una meſſis, ſi Deus faveat, famelicam Tubingam reficiet, plures ſaturam & præpingvem iterum reddent. Virtutis tuæ erit, jacentia non deſpexiſſe, & reſurgenti ad ſolidam eloqventiam, & literatam prudentiam firmum fundamentum ſubſtraviſſe.

Vol. XXV.

amplum eſt, & complectitur epiſtolas CCCXXIX. qvas tum viri docti ad *Jo. Petrum Lotichium*, tum ipſe ad alios, exararunt. Has epiſtolas Lotichius in hoc volumen deſcribi curavit, ut ex eo in lucem ederentur. Inſcriptio eſt: Jo. Pet. Lotichii *epiſtolarum libri XIV. in qvibus Clariſſimorum & Illuſtrium Virorum alloqvia & teſtimonia, ſimulqve auctoris potiſſima vitæ pars ſub varia & lectu iucunda materia repræſentantur. Accedit Perilluſtris & Generoſi D.* Io. Chriſtiani L. Baronis à Boineburg *præfatio.*

Præ-

Præfatio illa Francofurti an. 1666. 3 Martii ſcripta, ad Lotichium directa eſt, qva ad edendum hoc volumen multorum aliorum, qvi ſuas ipſi in lucem ediderint epiſtolas, exemplis excitatur. Libris illis XII. ſubnectitur *epiſtolarum Iuvenilium liber*, qvi itidem epiſtolas aliorum, ad Lotichium ſcriptas, complectitur. Colophonem imponit index librorum Lotichii noſtri tum editorum, tum edendorum. Scriptorum numerus octoginta circiter conficit. Præcipui eorum, qvi epiſtolas has ſcripſerunt, ſunt *Conr. Bachmannus*, *I. C. à Boineburg*, *Ludov. Crocius*, *Caſp. Cunradus*, *Chriſt. Daumius*, cujus exſtant epp. 14. *Io. Giſenius*, *Rod. Goclenius*, *Melch. Goldaſtus*, *Gruterus*, *I. L. Hartmannus*, *Dan. Heinſius*. *Gregor. Horſtius*, *Io. Rod. Lavaterus*, *Frid. Monavius*, *Renatus*, *Moræus*, *Mart. Neſſelius*, *Dan.* & *Phil. Parci*, *Guido Patinus*, *G. Remus*, *Io. Saubertus*, *Schurmannia*, *Abrah. Scultetus*, *I. G. Sturtzelius*, cujus exſtant epp. 48. *Herm. Vultejus* & *Io. Weitzius*. Ipſius Lotichii epiſtolæ fere centum leguntur, qvibus tamen ejusdem præfationes & dedicationes, qvas operibus ſuis majoribus editis præmiſerat, immiſcentur. Dignum eſt opus ob elegantem rerum doctrinæqve varietatem, qvod lucem adſpiciat. Id qvod ex ἀποσπασματίοις conficere licebit, qvæ *Heumannus* in Pœcile Tom. III. p. 392. ſqq. una cum Indice operum Lotichii

chii editorum & ἀνεκδότων exhibuit. Temperare mihi non poſſum, qvo minus præmiſſam à Boineburgio epiſtolam ex parte deſcribam.

Vir Nobiliſſime. Totam fere noctem, ac hujus una diei, qvod elapſum eſt, impendi lætus lubens amoeniſſimæ lectioni Operis tui epiſtolici, qvod ecce continuo remitto. Non qvidem ejus omnia pellegi. Ecqvis id jactet? qvisnam credat? Pleraqve tamen ita occupavi, ut eorum haut ſim inſciens. Unum oro, ut meas epiſtolas numero tam eximio eximas, cum ne qvidem priore obtutu cujusqvam dignæ fuerint, nedum ut noſcantur vel minimis poſterorum. Multum optem, volumen iſthoc tam bene digeſtum, tot clarorum Virorum ſcripturis illuſtre, ac, qvod princeps caput eſt, tua nitentiſſimum, qvamprimum edi. Stolide errant, qvi opinantur, Poëtas in ſtylo prorſo non perinde excellere. Intueantur Grotium, Barlæum, Heinſium, patrem, & genus id alios, at qvantos viros! tum in oratoriis, tum præcipue in hiſtoria, in qva tu eos exempla tibi habes plusqvam apologetica. Ut epiſtolarum tomos publices, exemplo iterum eſſe qveunt & Eraſmus & Heinſius, & Bertius, & Camerarius, Melchior item Iuniius, Reuſneri, Arnoldus, Chytræi, Bartholini, Georg. qvoqve Richterus, Calcagninus, Curiones, Sturmius, Grynæi, Gruteri, Manutii, Maffaei, Sirletus, Nihuſius, Neuhauſii, Saubertus, Peucerus, Manlius, Pezelius, Brutus, Franc. Balduinus, Gronovius, Schluſſelburgius, Turſellinus, Cujacius, Scalig.

Scultetus, Goldaſtus, Gretſerus, Labbeus, Lambecius, Hottingerus, Gabbema, Pœlenburgius, Druſius, Bernardin. Ferrarius, Beverovicius, Dacherius, Blondellus, Naudæus, Poſſinus & Venator, propediem proditurus, aliique, qui ad unum omnes partim ſuas, partim aliorum ad ſe epiſtolas junctim ediderunt. Epiſtolographia certe per tibi multum debebit, ubi codicem hunc publico dederis &c.

Pergit Boineburgius nominatim appellare eos, qvorum epiſtolæ vel ſuperioribus antiqvitatis ſæculis, vel noſtra memoria cum inſigni literarum emolumento prodierint. Vereor ego, ne in illis enumerandis longior ſim Ceterum de *Lotichio* noſtro ejusqve vita & meritis videris *Petrum Baelium* in Dictionario Hiſtorico-Critico Tom. II. p. 1873. & nuper addodum *Niceronem*, in commentatiis ad hiſtoriam virorum illuſtrium literariam gall. litis Tom. XXVI. p. 38. ſqq.

Vol. XXVI.

nſtat epiſtolis CC. autographis, qvæ a viclarisſimis ſuperioris & noſtræ memoad varios pervenerunt. Numerus ptorum centenarium propemodum ef-

En tibi potiores! *Io. Affelmannus*, *& Iac. Bartſchii, Chriſtoph. Becmannus*, *rius, Boineburgius, Mart. Bucerus, Sam. Carpzovius* ad Arcularium 31-44. *Io.*

Chamberlayne, *Dallæus*, *Daumius*, *Io. Fechtius*, *Matth. Flacius*, *I. G. Grævius*, *Iac. Heilbronnerus*, *Matth. Hoe*, *Th. Ittigius*, *Pet. Iurieu*, *Athanaſ. Kircherus*, *Wilh. Lyſerus*, *Io. Burchard. Majus*, *Melanchthon*, cujus ſunt epp. 8. *Balthaſ. Menzerus*, *Phil. Mornæus*, *Pet. Poiretus*, *Mart. Ruarus*, *Kilian. Rudraufius*, *Erasm. Sarcerius*, *Io. Andr. Schmidius*, *Philip. Sidnejus*, *P. I. Spenerus* ad Arcularium, decem, & *Elias Veelius*. Pleræqve harum epiſtolarum ad Arcularium, Berneggerum & Bœclerum datæ ſunt. Miſta his ſunt literaria nonnulla, v. c. Index MSS. qvæ posſidet *Henr. Frider. Otto*, Hohenloicus n. 68. index MSS. Biblioth. *Io. Phil. Dattii*, n. 78. index librorum Magicorum in Biblioth. Comitis a Beichlingen, n. 102. nonnulla item ad inventionem artis Typographicæ ſpectantia, n. 74.

Notabilis inprimis in his epiſtola eſt αὐτόγραφος germanica a Leopoldo, Imperatore, ad Io. Rapp, Micheſtadio Erpacenſem, Med. D. & Archiatrum Joannis Philippi, Electoris Moguntini, de argumento qvodam Chemico an. 1660. 20. Junii data, nec minus Mauritii Haſſ. Landgravii autographæ Latinæ ad Cubicularium ſecretiorem, Paſtoremqve & Diaconum Eccleſiæ Aulicæ Caſſellis 1624. ſcriptæ; nec non Eſſexiæ Comitis ad Mauritium apographæ &c.

B. Io.

B. *Jo. Affelmannus* in ep. ad B. *Jo. Winckelmannum* data qveritur, Roſtochii ſe *a Theologis male tractari, & pejus haberi qvam peſſime*, cujus rei exemplum unum alterumqve adfert, maleqve inprimis ferri ait in poſtſcriptis, qvod de cauſa ſua ad Theologos Gieſſenſes ſcripſerit. Annum 1609. qvo iſta ſcripſit, exprimit iſtis Senecæ in Oedipo v. 980. - - - fatIs aglMVr, CeDIte fatIs.

Video etiam in his epiſtolam *Athanaſ. Kircheri* ἀπόγραφον, qvam Roma 12. Februar. 1675. Pariſiis ad *Job. Monralx*, Nobilem Danum, ſcripſit, ex qva colligas, Pariſiis de patria *Kircheri* dubitatum fuiſſe. *Præterea*, inqvit, *non parum miratus ſum, Academicos veſtros de meo natali ſolo dubitare poſſe. Italus ſane non ſum, neqve Gallus, multo minus Hiſpanus, ſed Germanus natione, patria Fuldenſis, cujusmodi gentis & ego innato mihi ſinceritatis candore glorior, & opera mea ubiqve paſſim in fronte demonſtrant, & tu, Vir eximia, dum mecum Romæ ſvavi neceſſitudinis nexu converſabaris, ex idiotiſmo Germanico neſcire nequis. Si vero nonnullæ nationes me ſuum eſſe velint, eo tantum abeſt ut injuriam mihi faciant, ut potius de Homeri patria inter veteres exorta contentione ſummo me honoris titulo extollant. Verbo abſolvam: qvaliscunqve tandum ſim, ſive Germanus, ſive Scytha, aut Barbarus, nil moror: Dei ſum, cui ſoli ſervio, cujus gloriæ & honori*

omnia mea jam dudum per religionis nexum consecrata sunt. Quod de stupendis tubis Opticis, à Gallis adinventis, mihi significas, quibus novæ stellæ, nova sidera, nec dum huc explorata, detegantur, res nova est, quæ & inter paradoxa hujus temporis numeranda censeo, de quibus tamen libenter meum tibi judicium aperirem, si tuborum dictorum formam, dispositionem vitrorumque elaborationem nossem, quam si mihi perscripseris, ex mea parte non deero istiusmodi arcana scrutari.

Proxima huic est epistola *Joh. Christoph. ab Uffenbach*, JCti qvondam & celebris Auctoris Tractatus *de judicio aulico*, Lincio in Austria superiore, ubi legatum agebat, an. 1684. 29. April. brevi ante obitum germanice ad fratrem eius natu maximum *Zach. Conr. ab Uffenbach*, Senatorem Francofurtensem, scripta qua inter cetera se ægrotantem publicis Ecclesiæ precibus commendat, seque plenissima in solum Christi meritum fiducia obiturum esse testatur. Hoc vel ideo monendum esse putavi, ne qvis fidem habeat epitaphio, a Jesuitis ipsi Lincii eo in loco, in qvo cadaver sepultum est, condito & suspenso, qvo moriturus ad Ecclesiam Romanam secessisse fingitur. Verba Epitaphii, qvod descriptum habeo, inter alia, facta allusione ad cancros insignium nobilissimæ gentis Uffenbachianæ, ita habet:

Can-

Cancrinum posthac noli contemnere gressum:
Tarde quidem cancri eunt
Sed redeunt tamen.
Igitur qui hæc legis,
Si Catholicus es, gaude,
Quia in ipso vitæ suæ fine
Non aberravit a fine,
Suum redux ad principium
Et ad Ecclesiæ sinum Christophorus.
Si Acatholicus es,
Aude
Tu quoque redire ad Patrem
Per matrem
Cancrinum Uffenbachii gressum
Secutus in redeundo
Sed non in tardando.

Vol. XXVII.

formam in folio oblongo complicat, & *Pauli Terhaarii* epistolis ad varios eruditos Amstelodamo & Ultrajecto inde ab an. 1649. usque ad 1659. datis, absolvitur. Epistolæ sunt XXXVI. tersæ & elegantes ab eadem manu, & forte ipsius Terhaarii, descriptæ. His junguntur *Matth. Nethemi* ad Sam. Diestium, tum *Io. Cocceji*, *Io. Frid. Gronovii*, & *Othonis Belcampii*, ad *Martinum Hundium*, utrumque Professores Duisburgenses, pro commendando Terhaario, ut in locum *I. G. Grævii*, Duisburgo Daventriam vocati, sufficeretur. *Belcampius* virum

rum tunc juvenem, & ne nunc qvidem satis cognitum, ita describit: *degit apud nos vir juvenis, ex honesta familia oriundus, parente Seniore Ecclesiæ, qvi pro bona, qva pollebat, fortuna, magnos sumtus impendit huic filio, in qvo indolis supra alios sagacitatem conspexit, ut & supra alios in rarissimo Φιλολογίας studio emergeret. Res voto succesit, postqvam per novem annos in Academia Lugduno Batava sub ductu D. Heinsii & D. Salmasii (qvorum amicitiam maximam sibi conciliaverat,) studiorum tramitem peragrasset, ad peregrinationem se accinxit, Academias & scholas exteras visitavit, per Italiam universam Romam usqve, ubi diu degit, per Galliam, Angliam qvatuor vel qvinqve annorum spatio profectus, tandem ad nos redux exspectat, ut in publico sistatur, & qvas congesit, literarum opes aliis diffundat. Vis nosse dotes? pius est, integer vitæ, scelerisqve purus, mitis, comis, blandus: in Græca & Latina lingua promtissimus, in Romana & omni historia versatissimus. Antiqvitatem fere omnem exhausit. Bibliotheca rarissimorum librorum pretiosissima instructus est, &c.* Hæ viri dotes & ista commendatio effecerunt, ut *Terhaarius* an. 1659. mense Junio Professorum Duisburgensium numero adscriberetur, qvo qvidem nomine ipse Senatui Academico Duisburgensi gratias agit per literas anno eodem 3. Julii scriptas. Idem in literis, ad *Io. Buxtorfium* Amstelodamo 1655. datis, qveritur, se libros, qvos

qvos ille deſideraverit, Hebraicos nec in Gallia, nec in Anglia, nec in Italia acqvirere potuiſſe, Neapoli tamen Bibliorum Hebraicorum codicem manu exaratum ſibi paraſſe, *ejus bonitatis, ut inviſum ſibi ſimile exemplar periti omnes judicent*; illius vero codicis qvinqve volumina mare abſorpſiſſe, ſextumqve tantum, qvod *Pſalmos Davidicos* contineat, ex triſti naufragio ſupereſſe.

Vol. XXVIII.

refertum eſt autographis Regum, Principum, & virorum, qvorum ſpectata eſt eruditio, circiter CCCC. qvæ ex albis, epiſtolis, aut aliunde exſciſſa, in unum hoc volumen diligenter collata ſunt. Exſtant vero ibidem epiſtolæ autographæ circiter L. *Iac. Arminii*, *Georg. Beckherri* J. C. *Boineburgii*, *Bertii*, *Carteſii*, *Corderii*, octo, *Curcellaci*, *Epiſcopii*, *Grevinghovii*, *Grotii* pro Philippo Cæſio in itinere ex Gallia ſalvo præſtando, *Nic. Heinſii*, *Lipſii*, *Georg. Ludoviei*, ex S. J. *Adami Olearii*, *Poelenburgii*, *Raderi*, *Reineſii*, *Riſtii*, *Rosweydi*, *Schurmanniæ*, *Georg. Spaiſeri*, *Conr. Vorſtii*, *G. I. Voſſii*, *Vytenbogardi* & *Io. Ianſon. Wacsbergii*; qvæ omnes ſelectæ ſunt, & utplurimum de argumentis ſcitu dignis exponunt. Volumen hoc olim B. *Io. Frider. Mayeri*, qvem illi permultum tribuere memini, Bibliothecam

ornavit, qvod constat ex catalogo illius p. 727. n. 13.

Vol. XXIX.

habet epistolas maximam partem autographas, tum ad *Iac. Bongarsium*, tum ad alios, datas, ipsius vero etiam *Bongarsii* ad alios. Earum numerus *sexaginta* conficit. Vides ibi epp. Senatus Argentorat. ad Regem Galliæ, *Laur. Bochelli* ad Bongarsium, *Bongarsii* ipsius ad varios sex, cum aliis monimentis nonnullis in usum suum collectis, *Iac. Brocardi*, *Io. Brodæi*, *Is. Casauboni* ad Bongars. *Cratonis*, *Ernesti*, Ducis Brunsvicensis ad Bongarsium, *Io. Giphanii* ad Regem Galliarum, ubi de libris *Huberti Giphanii* posthumis publicandis agitur; *Theod. Gothofredi*, *Iani Gruteri*, *Frid. Lindenbrochii*, Justi Lipsii, tres, Guil. Maudeji Mansarti, Senatus Norimbergensis ad Regem Gall. *Th. Segethi*, *Scipionis Scaligeri* ad Bongars. & *Georg. Winteri* ad eundem. Describam hinc *Frid. Lindenbrogii* epistolam ad Bongarsium Parisiis XV. Kal. Mart. 1601. datam, & Francofurtum ad Mœn. ubi tunc Legatum Regis Gall. agebat Bongarsius, missam.

Debuissem qvidem, V. C. jampridem, si non reapse, saltem vel verbis gratum me ob munera declarasse: & id qvidem animus semper voluit, sed nescio, qvi, vel qvare, hactenus fieri non qvi

tum

tum ſit: ne nunc quidem, niſi velut deſultorie, & tumultuaria opera. Deinceps vero enitar hercle ſerio, ut Plautinum illud ſine ſuco inter nos dicatur: Qvod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravida eſt boni. *Oppido enim tu qvam amice feciſti, cum officium illud mea cauſa minime detrectaſti. Qvamvis, qvid reſponſi nactus ſis, eqve cum ignariſſimis ſcio: nec enim literas Tuas, neqve Ill. Principis accepi. Tuas ſe perdidiſſe inter alias chartas mihi retulit V.C. Pithœus; ideoqve, qvid tibi, qvid aliis, nova iſta editio placeat, ſcire aveo. Iam edo Leges antiqvas Germaniæ populorum, ut Wiſigothorum, Longobardorum, Salicam, Alamannicam &c. adjecta in fine interpretatione vocum obſcuriorum. Te vero belli ſacri Scriptores dare hiſce diebus intellexi: & nunc nuper qvoqve ad manus meas pervenit Olivari ſcholaſtici Colonienſis, qvi eidem bello, ut apparet, interfuit, de eadem expeditione narratio MS. qvam ſi reliqvis tuis adjungere places, volens transmittam. Ceterum tuus ſum* πᾶς καὶ ὅλος.

Ad eandem Belli ſacri ſeu Expeditionis Hieroſolymit. hiſtoriam concinnandam *Laur. Bochellus* Bongarſio *Roberti cujusdam Rhemenſis, qvi octo libris Hieroſolymorum hiſtoriam deſcripſerat, & qvam è direpta neqviter Bibliotheca fatalis rabies reliqvam fecerat,* miſit, qvod ex Bochelli ad Bongarſium literis, Pariſiis Baſileam an. 1598. datis, intelligo. *Qvis*, inqvit, *aut cujus notæ Ro-*

bertus iſte, judicii tui erit, forſitan eo ſeculo non indiligens ſcriptor fuerit. Ego ne diutius, ita pergit, *in publica peccem commoda, Euſebii Chronicon emendatius paro; de illius propediem editione fidem habe, & vale.* Collectio illa Bongarſiana lucem vidit, inſcripta: *Hiſtoriæ Orientalis Tomi II. i. e. Expeditionum Orientalium & Regni Hieroſolymitani Francorum hiſtoria à variis Autoribus ſcripta, Hanov.* 1611. *fol.* Chronicon vero Euſebii Bochellianum lucem non adſpexit.

* Vol. XXX.

ſiſtit epiſtolas autographas CCCCXI. ad *Iac. Bongarſium*, JCtum, & Chriſtianiſſimi Regis Legatum, inde ab an. 1567. ad an. 1600. a Miniſtris variorum Principum, tum vero etiam a viris, doctrina & fama inſignibus, Gallico ut plurimum ſermone, de argumentis hinc civilibus, hinc literariis ſcriptas. Tales continet etiam

Vol. XXXI.

nempe CCCXIII. ab an. 1601. ad 1605. ad eundem datas, nec minus

XXXII,

qvo CCCLIII. itidem autographæ ab anno 1606. ad 1611. exaratæ comprehenduntur, una cum ſupplemento earum, qvæ ad ſuperiores annos pertinent. Cui

de

de *Bongarſii* candore, variaqve doctrina & meritis conſtiterit, ille non dubitabit, ex his epiſtolis complura colligi poſſe, qvæ ad hiſtoriam omne genus illius ætatis, inprimis vero religionis cauſam illuſtrandam pertineant. Dici non poteſt, qvot & qvantis elogiis *Bongarſium* illi cumularint, qvi ad eum ſcripſerunt. Inter hos eminet *Lingelsheimius*, qvod vel ex hujus ad ipſum epiſtolis, qvæ exſtant, perſpicitur. Adde, qvæ de eodem *Bongarſio* tradidit *Bælius* in Dictionario Hiſtorico & Critico Tom. I. p. 642. ſqq.

Vol. XXXIII.

refertum eſt epiſtolis autographis CXXV. qvas *Antonius Wolfius*, JCtus, & Cancellarius Haſſo-Darmſtadinus, tum ad *Eberhardum* filium ſuum, Jenam ſtudiorum cauſa miſſum, tum ad Profeſſores Jenenſes, aliosqve, Kolbium item, filii Ephorum, in ejus gratiam ſcripſit, qvasve ipſe a filio, Profeſſoribus, *Kolbio*, & aliis, inde ab an. 1630. ad an. 1631. accepit. Ita exſtant B. *Io. Gerhardi* qvatuor, M. *Petri Haberkornii*, octo, *Nic. Vigelii* una, *Frider. Hortlederi* duæ, & *Georg. Philippi Fabricii*, è Comitiis Ratisbonenſibus, tres. Exſtant etiam literæ Imperatoris, qvibus eidem *Wolfio* & una filio ejus, Comitis Palatini dignitas confertur. Ex his literis apparet, *Wolfium* &

& pietate, & doctrina & judicandi facultate valuisse. de quo fortasse aliquando in Notitia *Wolfiorum*, doctrina & meritis clarorum, quam pridem destinatam & ad umbilicum perductam habeo, copiosius dicam. Hujus exstat designatio Conciliorum, in Imperio Romano Germanico ab anno 1556. ad an. 1623. habitorum, manu exarata. Vide Bibliothecam Uffenbachianam MS. Part. X. p. 724. sq.

Vol. XXXIV.

sistit Acta & Literas authenticas ad Marchionem *de Rochegude* in variis Europæ aulis curiisque, quem vocant, Ministrum Agentem, in causa Gallorum, nominatim *Cemmeniorum*, religionis causa tunc partim ex sulum, partim ad triremes damnatorum. Pertinet hoc volumen ad res inde ab an. 1699. per decennium circiter in hoc negotio gestas, & conferendum est cum sex voluminibus ejusdem argumenti, quæ infra inter codices formæ quartæ n. 38-43. enarrabuntur. Volumen hoc habet literas & monimenta alia CCXCVI.

Vol. XXXV.

onustum est literis autographis CLIII. quæ ad B. *Io. Iac. Schudtium*, Rectorem quondam Gymnasii Francofurtensis ad Mœnvirum

virum omnino eruditum, probum & industrium, an. 1722. 14 Februar. ætatis 58. satis functum, a doctis clarisqve viris perscriptæ sunt. Habe hic eorum præcipuos: *Henric. Iac. van Bashuysen*, n. 16-45. *Bocrisium*, 71-74. *Io. Buxtorfium*, nepotem, *I. A. Eisenmengerum*, *A. H. Franckium*, *Io. Nic. Frey*, *Andr. Harderum*, n. 46-61. *Laur. Heisterum*, *Io. Christ. Herzogium*, *G. C. Ioannis*, *Honor. à Khobalt* n. 80-90. *Christ. Scriverium*, *P. I. Spenerum*. *W. E. Tenzelium*, *Christ. Theophil. Ungerum*, Pastorem in Silesia Hernnlaurschützensem, n. 3-15. *I. G. Walchium*, n. 62-66. & *Io. Henr. Wolfium* n. 75-78. His mistæ sunt ipsius *Schudii* nonnullæ ad varios, qvemadmodum illæ, qvæ inde ab ep. 154 ad n. 184. leguntur ab ejusdem manu consignatæ, & descriptæ ad alios missæ sunt, variaqve doctrina refertæ. Non possum non meminisse epistolarum qvas P. *Honorius à Kohbalt*, Presbyter Benedictinus & Bibliothecarius, Monseâ ex Austria Superiore ad *Schudtium* nostrum freqventer dedit. In prima earum an. 1700. d. 7. Octobr. data, ita eum compellat: *Veterani venatores cervum impresso vestigio dignoverint. Ego ex TRIFOLIO tuo, hodie qvod accepi per honorandum Bibliopolam Augustanum D. Kronigerum, τὰ νῦν in Nundinis Salisburgensibus degentem, COMPENDIO tuo HISTORIÆ IUDAICÆ, qvæ duo mihi ad manus, tantam te*

Virum

Virum & S. Linguæ ſtrenuum plane aſſertorem. Bone Deus! qvæ præclara, clara & rara non in tuo Trifolio! qva methodo non contextum! qva rerum Philologicarum varietate & amoeniſſimorum Auctorum memoria non conſcriptum! Mentior, ſi magis literatum ab aliqvot annis vidi; ψένδομαι, ſi majora adminicula in meorum Ebraicorum ſtudiorum mihi admodum tyrunculo, alius in hac re liber dedit. En etiamnum totus qvantus ὁ Κοβάλτος in id exardeſcit, ſimul & in συγγραφέα. &c. In reliqvis epiſtolis de variis, Hebraicæ inprimis eruditionis, capitibus, fatisqve *Eiſenmengerianis* perſcribit, & ſubinde dubia, qvæ ſibi de religione Pontificia ſubnata ſint, candide & docte communicat. Suſpicor autem, hoc literarum commercium ad alios fidei ſocios dimanaſſe, ut fraudi ſibi illud fore *Kobbaltus* exiſtimaverit. Mente itaqve vel ſerio, vel aliter, mutata has tandem d. 15. Auguſti an. 1706. ad eum exaravit.

In meis, elapſo anno, datis ad te literis, plus ſolito, & contra omnem æqvitatem in Piam Matrem, qvæ hactenus me indignum in gremio ſuo, Sacramentis ſuis ac pabulo verbi Divini foverat, blasphemo calamo deſævii; revoco proinde, qvæ tum ex præcipitanti animo & affectu ſcripſeram, ac omnem præterea hinc arreptum errorem depono, ut vel hoc teſtimonio ſcias deinceps, me devotiſſimum Romanæ Eccleſiæ clientem eſſe, meqve velle in ejusdem communicatione ἀδιαλείπτως & vivere

vere, ac tandem ἐν Χριστῷ ἀποθανεῖν, ad qvam Te qvoqve, ut pote salutis tuæ ex corde sitiens, qvam tenerrimo Christiano-Catholico affectu invitare cupiens, hæc exarare volui; tvæqve hactenus datæ amicitiæ, simul ac habitæ ultro citroqve correspondentiæ mihi deinceps interdico. Sint hæ ultimæ ad te literæ.

Non dubito interim, B. *Schudtii* literas, qvas itidem habeo, de illis doctrinæ sacræ capitibus dextre & luculente scriptas, eos in *Khobalti*, Viri aliqvin docti & prudentis, animo scrupulos reliqvisse, qvibus tollendis non sufficisse videatur.

De *Schudtio* nostro, cujus literis, ad me olim perscriptis, multa me debere alibi professus sum, ejusqve vita scriptis & meritis, lege Acta Eruditorum Germanica, Parte XCVI. p. 884. sqq. De alio volumine epistolarum αὐτογράφων ad eundem dicam infra n. XI. in 4.

Vol. XXXVI.

Spissum est & qvadringentis amplius epistolis autographis onustum. Earum 272 à viris varii generis eruditis numero CL. ad B. *Jo. Saubertum*, Theologum primo Altorfinum, deinde Pastorem primarium ad S. Sebaldi Norimbergensem, & Bibliothecarium, usqve ad an. 1646. qvo Vir Optimus obiit, scriptæ sunt. Celebriorum nomina hæc habe: *Wolfrum, Frischmann,*

mann, Hœrsdorfer, Koenigius, Schmidii, Leibnitii, Durrius, Schnellius, Virdungus, Dillingerus, Ehingerus, Mayfartus, Bayerus, Althoferus, Andreæ, Sturzelius, Wellerus, Hannekenius, Dorscheus, Dilherrus, Dinnerus, Weigammeierus, Rinderus, Hoeus, Waltherus, Haberkornius, Hulsemannus, Dietericus, Himmelius, Blendingerus, Felwingerus, Martini, Micrælius, Glasius, Imhofius, Rupertus, Mollerus &c.

Illas seqvuntur aliæ, itidem autographæ, a variis ad *Georg. Mauritium*, Professorem Altorfinum, an. 1631. denatum, Patremqve ejus, *Georgium Mauritium Helingium*, Antistitem ad S. Sebaldi Norimbergensem, datæ. Sunt illæ triginta, *Cellario, Rotenbeckio, Windheselio, Uffingero, Cornero, Melch, Fabritio, Baumgartnero, Rittershusio, Hildebrando, Raithio* & *Piccarto* scriptæ.

Reliquæ, qvæ inde ab ep. 306. usqve ad 403. procedunt, diversis à variis, v. c. *Mosero, Wagenseilio, Majori, Schleupnero, Lysero, Andr. Ostandro. Laur. Laelio, Hasenreffero, Schroedero, Huttero, Fechtio, Bebelio, Menzero, Ittigio, Sontagio. Mylio* inprimis vero *Meelfuhreris*, sunt inscriptæ. Sunt illi, *Joannes* Antistes Onoldinus, *Jo. Christophorus*, SS. Theol. Licent. & Pastor primarius Schwobacensis, & *Rudolphus Martinus*, libris & dissertationibus variis celebritatem consecutus, superioribus vero annis ad Pontificios delapsus, sed postea ad salutaris doctrinæ

ctrinæ profesſionem reverſus. Vel ex nuda hac nominum profesſione cuiqve conſtabit, volumen hoc egregiam variæ doctrinæ ſegetem ſuppeditare.

Vol. XXXVII & XXXVIII.

epiſtolas continet autographas ad *Frider. Hortlederum* a variis ſcriptas. Prius illud conſtat epiſtolis CCVII. nunc Latine, nunc Germanice, inde ab an. 1605. ad 1614. exaratis: poſterius abſoluitur epp. CLXXXVIII. inde ab an 1614. usqve ad 1620. ſcriptis. Scriptores ſunt centum & amplius. Eminent inter illos *Frid. Metſchius, Juſtus Zinzerling, Polyc. Lyſerus, Mich. Hoſmannus, Anton. Wolfius*, epiſtolis novem, bene longis & multa memorabilia una cum hiſtoria Pacificationis Paſſavienſis continentibus: *Melch. Goldaſtus*, (epp. 36.) *Conrad. Rittershuſius*, *Wolf. Heiderus, Jo. Hoenius, Henr. Meibomius, Jo. Gryphiander*, *Jo. Weizius, Chriſtoph. Agricola*, (epp. 24.) *Anton. Colerus, Thom. Sagittarius*, (epp. 25.) *Jo. Major, Frider. Camerarius, Chriſt. Hoellichius*, (epp. 21.) *Nic. à Rohr, Marqv. Freherus, Elias Ehinger, Andr. Agricola, Georg. Mylius, Thom. Lanſius*, & *Jo. Gramerus*.

Hortlederus noſter Ducibus Saxoniæ Vinarienſibus à conſiliis erat, munereqve ſuo dextre & feliciter usqve ad an. 1640. qvo obiit, fungebatur, ita qvidem, ut ſcriptis

variis, inprimis autem amplo illo de *Belli Germanici cauſis* opere, Francofurti primum an. 1618. & ſecundum 1645. duobus tomis edito, bono publico & Hiſtoriæ Germanicæ conſuleret. De hoc opere præclare judicat *Boineburgius* in epp. ad *Zach. Pruſchenkium*, *Hortlederi* generum, data, qva eundem ad Tomum III. ſimiliter edendum cohortatur. Vide Acta Literaria Struviana ex MSS. eruta Tom. I. Faſc. VII. p. 36. De vita, ſcriptis & meritis *Hortlederi* lege *Wittenii* Diarium Biographicum Tom. II. p. 51. *Magiri* Eponymologicum Criticum p. 111. & *Reimanni* Introduct. ad Hiſtor. Literar. Germanorum Part. III. Sect. III. p. 486. ſqq. Hæ epiſtolæ ad ipſum datæ, maximam partem ad hiſtoriam Germanicam Seculi XVII. & Jus Publicum, tum vero ad hiſtoriam literariam illuſtrandam, ſpectant. Ita ex ep. *Antonii Coleri* Lubecenſis, J. U. D. & primum Canonici Sant Blaſiani Brunſvicenſis, deinde in patria Conſulis, ad Hortlederum Brunſvigæ an. 1617. Novembr. data, (qvæ eſt 150. Voluminis II.) apparet, *Colerum* illum auctorem eſſe tractatus vernaculi, qvem inſcripſit : kurtz und gegründetes Bedencken, ob in H. Römiſchen Reiche die Ertz-Hohe und andere Stifte unter Deroſelben Anverwandten und zugethanen Perſonen beſtändiglich in ihrem eſſe und Weſen zu erhalten,

Hal-

Halberſtadii 1617. 4. In hac enim, qvam dixi, epiſtola qveritur, centum aliqvot exemplaria libri illius ſui ſibi adhuc ſupereſſe, nec per Bibliopolas illorum locorum diſtrahi poſſe, petitqve adeo ut, ipſo annitente, id per Bibliopolas Jenenſes vel Francofurtenſes efficiatur. Compara B. *Placcii* Theatrum Anonymorum p. 456. & Cl. *Seelenii* Athenas Lubecenſes Vol. I. p. 142.

In altero illo Vol. n. 151. exſtat *Anton. Wolfii*, poſtea Cancellarii Haſſo-Darmſtadienſis, de qvo ſupra ad Vol. XXXIII., epiſtola vernacula Argentorato 8 Novembr. an. 1617. ad Hortlederum ſcripta, cum qva ipſi mittit ſciagraphiam tractatus ſui de *Pacificatione Paſſavienſi* in libros XI. diviſi, ejusqve de eo ſententiam & collectanea, qvæ huc pertinere poſſint, reqvirit. Sed ille qvidem tractatus lucem nunqvam vidit. In eadem epiſtola præclarum exſtat de fide *Sleidani*, in concinnando opere ſuo Hiſtorico, *Wolfii* judicium. Teſtatur enim, eum *relationes*, *protocolla*, *miſſivas*, *vota & acta*, qvæ in Tabulario Reipublicæ Argentoratenſis exſtent; tum vero etiam monimenta, à *Jac. Sturmio* cum eodem per literas communicata, ſumma fide adhibuiſſe, ita ut ex Germanicis latina tantum faceret. Addit etiam, eum a Senatu Argentoratenſi qvotannis centum florenis aureis mactatum eſſe. Ad ipſam

hanc epiſtolam video provocaſſe *Caſp. Sagittarium* in Introductione ad Hiſtor. Eccleſiaſticam p. 113. Cumqve verba illa, qvæ inde adfert l. c. in margine tanqvam *notabilia de Sleidano* ſignata videam, non vane inde colligo, ipſum hoc volumen una cum priori illo in manibus *Sagittarii* fuiſſe. Exſtat in eodem hoc Volumine *Wolfii* ep. ad *Hortlederum* 21 Mart. an. 1618. data, ad qvam *Sagittarius* itidem l. c. provocat.

Vol. XXXIX. XL & XLI.

ſpisſa complectuntur epiſtolas autographas, a viris maximam partem claris & eruditis ad *Burchardum Gotthelf Struvium*, JCtum & Profeſſorem Jenenſem, datas. Illæ omnes ſecundum literarum ſeriem, qvam Scriptorum nomina exigebant, diſpoſitæ ſunt, ita qvidem ut Vol. XXXIX. epiſtolarum CCCV. ab A usqve ad G. Vol. XL. epp. 241. a litera H ad M. Vol. deniqve XLI. a litera N. usqve ad finem alphabeti proferatur. Longum foret, ipſa ſcriptorum nomina percenſere. Id aſſeverare auſim, paucos eſſe noſtræ memoriæ, in Germania potiſſimum, eruditos, qvi aliqvam nominis celebritatem conſecuti ſint, qvorum ad eum literæ heic non legantur. Exſtant vero etiam non paucæ exterorum. Inter has oculis ſe obfert ſeqvens *J. P. Bignonii*, Pariſiis 8. Junii an. 1713. data in hæc verba:

Ex

Ex datis ad me Kal. Apr. literis certior factus sum inchoatam a te Scriptorum Historiæ Germanicæ editionem diligenter te persequi: nihil mihi prætermittendum putavi, ut ea conqvirerem, qvæ operi tuo aut illustrando, aut locupletando vel minimum inservire possint. Cum enim in humanitate laus doctrinæ præcipua posita esse videatur, ab ea profecto abessem qvam longissime, si ea, qvæ desideras, statim à me non impetrares: certe mihi gratulor, hanc de te, una & de literis bene merendi oblatam esse occasionem. Qvid enim mihi jucundius contingere potuit, qvam tecum, homine erudito & ad scientias promovendas apto, amicitiam instituere? Qvæ ut sit longe firmissima, dedi perqvam diligenter operam, ut manuscriptorum codicum, qvi Germanicam historiam spectant, catalogum tibi compararem. Pauci fortasse ex iis reperientur, qvi tuam in perscrutandis ejusmodi monumentis diligentiam fugerint, aut qvi tibi esse possint adiumento. Qvod si, qvem ad te mitto catalogum, exspectationi tuæ parum respondeat, ex eo saltem, qvæ mea sit in te voluntas, perspicere poteris. Nam statim, atqve allatæ sunt literæ tuæ, Cl. Boivinium, Bibliothecæ Regiæ custodem, oravi, ut ea investigaret sedulo, qvæ tibi utilia fore animadverteret. Illud autem, qvin sit ab eo accuratissime præstitum, non dubito: & ipse, qvantum in me erit, dabo operam, ut intelligas, omnia me tui causa libenter esse facturum. Vale, vir clarissime.

Additus erat index codicum XXIII. ad Hiſtoriam Germanicam pertinentium. Inter eos invenio *Chronicon Principum Auſtriacorum*, cum ſingulorum effigie, per *Jo. Francum*, usqve ad Carolum M. perductum, tum *Gervaſii*, Mareſchalli Tilleberienſis, Otia Imperialia, item *J. Molineti* Chronicon & hiſtoriam ſuæ ætatis inde ab an 1474.

In Vol. III. invenio multas D. *Jo. Wilhelmi Peterſenii*. In una earum, Niederdodelebiæ juxta Magdeburgum 14. Junii an. 1700. data, gratias agit pro libro qvodam *Poſtelli*, ſecum a D. *Buddeo* communicato. *Multum*, inqvit, *de hoc viro mihi promitto, utpote qvi præjudiciis multis ſolutus veritatem ut veritatem intuetur.* Idem in alia Magdeburgi 1701. 21. Jun. ſcripta, ita: *Interea è Londino mihi perſcriptum eſt, eſſe ibi varia MSS. Gvil. Poſtelli venalia pro* 200 *Imperialibus. Utinam eſſent, qvi ſumtus illos prænumerent, qvos magno fœnore Bibliopola recuperare poſſet!*

Vol. XLII.

exhibet epiſtolas apographas ad *Axelium ab Oxenſtierna*, Comitem & Magnum Regni Svecici Cancellarium, datas. Deſcriptæ vero ſunt ex autographis Cancellariæ magnæ Oxenſtiernianæ an. 1676. a *Nic. P. Grubbio*. Epiſtolæ ipſæ profectæ ſunt 1) à *Dan. Heinſio*, cujus ſunt *qvindecim*. Harum nonnullæ eo pertinent, ut *Jo. Rutgerſii*, Legati

gati olim Svecici, heredibus ea petant exſolvi, qvæ illi tum pro ſtipendio, tum pro expenſis in Regni commoda debebantur. Seqvuntur duæ epp. *Nicolai Heinſii* ad eundem Comitem Florentia 1653. & Amſtelodamo 1651. ſcriptæ. Has excipiunt GUSTAVI ADOLPHI, Regis Svecorum, literæ ad Rutgerſium, Legatum, an. 1624. miſſæ, una cum qvatuor Rutgerſianis ad Oxenſtierna Comitem. Agmen claudunt *Hugonis Grotii* illæ, *ἀνέκδοτοι*, qvæ maximam partem Pariſiis ſcriptæ ſunt, cum ibi Legatum Regis Svecorum agebat. Earum ſunt LXIX. eæqve bene longæ, ex qvibus inter cetera intelligas, Virum, literis alias deditiſſimum, rerum ſibi commiſſarum ita ſategiſſe, ut & illas ſingulari diligentia & prudentia adminiſtraret. Eædem horum, qvos dixi, epiſtolæ, ſed plures, leguntur in Volumine LXVIII. de qvo mox exponam.

Eodem volumine deniqve comprehenduntur B. *Conr. Samuelis Schurtzfleiſchii* epiſtolæ ad diverſos, inprimis vero ad Viros Illuſtres, *Friſium* & *Gersdorfium*, Aulæ Saxonicæ Miniſtros ſcriptæ. Illarum ſunt CXXIX & pleræqve nondum editæ.

Vol. XLIII.

epiſtolas habet autographas *Jo. Chriſtiani* Lib. Baronis *à Boineburg* & *Zach. Praſchenckii*

mutuas inde ab an. 1643. usqve ad 1672. ſcriptas. Earum ſunt CXCV. De *Boineburgio* diximus ſupra ad Vol. XXI. *Pruefchenckium à Lindenhorn* Ducibus Saxo Vinarienſibus a conſiliis intimis & Ducatus Iſenacenſis Proprincipem fuiſſe conſtat, an. 1679 defunctum. Plura de eo dabunt Celeb. *Struvius* in præfat. ad Faſc V. Actorum Literariorum & *Zeumerus* in Vitis JCtorum Jenenſium p. 110 ſqq. Inter hos vero Duum viros freqvens fuit literarum commercium. Iuſtum earum volumen exſtitit olim apud *Gerhardum de Lilienheim*, Vinarienſis Aulæ Vice-Cancellarium, hinc in inſtructiſſimam Bibliothecam Ducalem Vinarienſem translatum. Ex illo excerpta qvædam dedit *Struvius* Faſc. III. p. 1. ſqq. & ibidem Cl. *Heumannus* Faſcic. VII. p. 20. ſq. ubi & codex ipſe, a *Pruſchenckio* ſcriptus, luculentius enarratur. Ab hoc volumine diverſum eſt illud, qvod præ manibus eſt. Id ſcilicet olim Bibliothecam Zollmannianam Coburgi ornavit, qvod apparet ex indice epiſtolarum huic volumini præmiſſo, cum hac inſcriptione: *Syllabus epiſtolarum Boineburgii & Pruſchenckii, qvæ in Bibliotheca Zollmanniana αὐτογράφως exſtant.* Utriusqve vero epiſtolæ heic ſunt *αὐτόγραφοι*. Dici non poteſt, qvanta bonarum rerum copia illæ abundent, ex qvibus vel ideo ſpecimen nullum exhibebo.

bebo. Exſtant alias Excerpta ex ejusdem *Pruſchenckii* aliis epiſtolis, ad *Calixtum*, *Boineburgium* & alios exaratis, in Actis Literariis Struvianis Faſcic. V. p. 18. ſqq. qvas *Struvius* à *Sebaſt. Schrammio*, Verbi Divini apud Iſenacenſes miniſtro, acceperat. Adde his duas epiſtolas *Prueſchenckii* integras, alteram ad *Caſp. Rebhahnium*, alteram ad *Frid. Ulric. Calixtum* datas, qvæ in Tom. II. Actorum Literar. Struvianorum p. 249. leguntur.

Vol. XLIV.

eſt epiſtolarum autographarum CCXX VIII. qvæ a diverſis ad diverſos ſunt profectæ. Inter has agmen ducunt qvindecim *Jac. Thomaſii* ad *Caſp. Sagittarium* ab an. 1661. ad 1679. inter qvas tamen non exſtant qvatuor illæ, qvas dedit *Struvius* in Actis Literar. Tom. II. p. 155. ſqq. Seqvuntur ad eundem ſex & triginta *Adami* & *C. Tribbechoviorum*. His mixtæ ſunt tres *Caſp. Sagittarii* nempe 47, 48 & 65. Has autographas omnes excipiunt apographæ qvædam, *Iſaac Caſauboni*, n. 52. qvæ tamen eſt inter editas ab *Almeloveenio* p. 119. *Petri Bertii* ad Scipionem Gentilem αὐτόγραφος n. 43. porro apographæ *Achatii Burggravii Baronis à Dhona*, *Simonis Toelmanni*, *Ioſ. Scaligeri* ad Jo. Caſelium, qvæ eſt inter editas, p. 562. Taceo ceteras complures, qva-

rum multæ ad *Phil. Mullerum*, Profeſſorem Theologum Jenenſem, v. c. a *Rechenbergio*, *Oleario*, *Chriſtiano Wolfio*, Profeſſore hodie Marpurgenſi, datæ ſunt.

Vol. XLV.

refertum eſt epiſtolis CCCLIV. a præſtantiſſimis Theologis Sæc. XVI. ad *Hartman. Beyerum*, Eccleſiaſten qvondam Francofurtanum, datis, qvæ ex autographis, in Bibliotheca Francofurtana hodienum obviis, deſcriptæ ſunt. Habes heic qvatuor *Melanchthonis*, undecim *Jo. Brentii*, duas & qvadraginta M. *Flacii Illyrici*, duas & triginta *Jo. Wigandi*, multas *Jac. Andreæ*, *Davidis Chytræi*, *Tilemanni Heshuſii*, *Cyriaci Spangenbergii*, *Jo. Marbachii*, *Simonis Muſæi*, *Matth. Flacii* Illyrici, Junioris, *Jerem. Hombergeri*, inde ab. ep. 148. ad 178. *Georg. Majoris*, *Georg. Aemylii*, *Nic. Galli*, *Joach. Weſtphali*, *Jo. Aurifabri*, *Wilh.* & *Balthaſaris Bidenbachiorum*, *Joach. Moerlini*, *Valent. Erythræi*, *Hermanni Hamelmanni*, ab ep. 232. ad 250. *Erasmi Alberi*, *Zachariæ* & *Joannis Prætoriorum* ab ep. 254. ad 270. *Joan. Friſii*, *Simonis Sulceri*, *Juſtini Gebleri*, *Joan. Dryandri*, *Bal. Acontii*, *Dionyſ. Roneri*, *Jo. Piſtorii*, Niddani, *Caſp. Wiſeri*, *Tilem. Stellæ*, *Hartmann. Piſtorii*, *Chriſtoph. Irenæi*, *Melch. Ambachii*, *Jo. Aepini*, *Theodorici Leydani* cum reſponſoria, *Hartm. Beieri*, *Erasmi Reinholdi*, *Jo. Conr. Ulmeri*, *Juſti Jonæ*, *Joan. Sturmii*.

mii, *Andr. Hyperii*, *Jo. Iſemanni*, *Pauli Held Mich. Neandri*, &c. Singulæ horum epiſtolæ ſibi invicem ſecundum temporis ordinem ſunt junctæ. Ex nuda hac nominum enarratione apparet, epiſtolas has inprimis ſtatum Eccleſiæ illius ætatis, qva *Martin. Beyerus* vixit, repræſentare. Vixit autem usqve ad an. 1577. de qvo copioſius commentantur *Melch. Adami* in Vitis Theologorum p. 246. *Freherus* in Theatro p. 245. & auctor der Monathlichen Nachrichten von Gelahrten an. 1726. p. 562.

Vol. XLVI.

ampliſſimum CCCXXI. habet epiſtolas autographas ad *Conr. Rittershuſium*, JCtum qvondam & Philologum, in Academia Altorfina inſignem, exaratas. Epiſtolæ illæ ſecundum ſcriptorum nomina, literarum ſerie diſpoſita, ſibi invicem ſunt junctæ. Habes hic, ut paucos de multis appellem, illas *M. Io. Adami*, V. D. M. Heidelbergenſis, *Alex. Arbuthnothi*, Scoti, *Gregor. Bersmanni*, *Chriſtoph. Coleri*, multas, nec minus *Marqv. Freheri*, *Pauli Freheri*, *Ioan. Frobenii*, *Jo. Frid. Gernandi*, *Dionyſ. Gothofredi*, *Jani Gruteri* permultas, *Acacii Hulſii*, *Pauli Meliſſi* multas: D. *Io. Ladislai*, Viri docti, triginta, *Jo. Philip. Parei* aliqvot, *Lamb. Pithopoei* viginti, & per multas *Joannis* & *Eraſmi Poſthiorum*, *Th. Richii*, *Henr.* & *Johannis Salmuthorum*,

rum, Simonis Stenii, Frid. Sylburgii, &c. In octo *Sylburgii* epistolis notabilia & erudita non pauca sunt, qvæ etiam ad locos qvosdam veterum emendandos spectant. In una earum, qvæ exstat n. 297. *Francof.* 1589. scripta, se Stephano ait Latinam *Oppiani* versionem, qvam *Rittershusius* sibi miserit, coram tradidisse, qvi tamen certum editionis tempus polliceri non potuerit, qvoniam res ejus bellis intestinis magnum accipiant detrimentum. *Artemidori,* ita idem, *Onirocritica ex Canteri editione nondum prodierunt, neqve ille in suis ad me literis ullam eorum mentionem facit.* In calce nunciat, sibi fortasse migrandum, & alibi conditionem qværendam esse. *Heri enim mei,* inqvit, *qvoniam Belgicis & Gallicis bellis negotiatio libraria valde labefactatur, tantos deinceps sumtus facere gravantur; mihiqve alibi pro rebus meis prospicere liberum reliqverunt.*

In hac ipsa Collectione exstiterunt qvædam *Casp. Scioppii* ad *Rittershusium* epistolæ, qvod ex scheda qvadam addita intelligo. Sed illas frustra nunc qværo. Tales vero ex collectione alia, ut videtur, edidit Cl. *Struvius* in Actis Literariis Tomo II. Fascic. V. p. 388 sqq. una cum duabus Rittershusii ad Scioppium p. 473. sq. His Fasc. VI. p. 484 sqq. adduntur duæ Scioppii aliæ, altera ad *Ritsershusium* de libris qvibusdam suis detentis, ubi in margine excepti-

ceptiones Rittershusianæ adjectæ sunt, altera ad *Frider. Raymundum Imhofium* de eodem negotio. Confer & aliam *Scioppii* ad Rittershus. Tom. I. Actorum Fascic. V. p. 64. sqq.

Vol. XLVII.

comprehendit epistolas ad eundem *Rittershusium* autographas CCXXXII. à *Camerariis* inprimis, & aliis doctrina claris, datas. Agmen ducit *Jani Rutgersii*, qvam mox integram dabo. Seqvuntur *Philippi Ludovici*, *Joachimi*, *Philippi*, (filii) *Camerariorum* usqve ad ep. 167. Interjiciuntur duæ ipsius *C. Rittershusii*, altera ad *Phil. Camerar.* altera ad *Albertum Hungerum* n. 268 & 269. cujus etiam sunt, si paucas excipias, seqventes usqve ad ep. 285. Seqvuntur iterum epistolæ *Philippi Camerarii* inde a n. 186. usque ad 230. Reliqva, qvæ usqve ad calcem voluminis procedunt, complectuntur tantum, si pauca exceperis, carmina varia Latina & Græca, in utrasqve Rittershusii nuptias, a viris doctis scripta, partim formis expressa, una cum qvadruplice Rittershusii effigie, ære descripta.

Dabo ex his illam *Jani Rutgersii* ad RittershusiumLud. Batav. 1610. scriptam. *Cum superioribus diebus Lugdunum salutatum me venissent ornatissimi fratres tres Rostochienses (hi sunt* Busii, Theodorus, Caspar & Georgius, *qvod*

qvod ad oram ſcripſerat Rittershuſius) *& de variis rebus nobis ſermo eſſet, ſignificavi illis de editione Vitæ Joſ. Scaligeri* Τὸ μακαρίτου, *qvam affectam penes me habeo. Eam ingens epiſtolarum theſaurus Scaligeri ſequetur. Id cum indicaſſem eis, opportune, inqviunt; nam & nobis de juvandi facultas eſt. Sunt penes Cl. Rittershuſium aliqvot centenæ* (nimis liberaliter promiſerunt, *id ad oram monet Rutgerſius*) *qvas non difficulter impetrabimus tibi. Ego gaudere & lætari, cum cumulum acceſſurum ingentibus literarum acervis, qvas è Germania, Gallia, & unde nno? acceperam. Qvare monere, obſecrare cœpi, ut promiſſi meminiſſe vellent. Ac ne beneficium gratis daturi viderentur, promiſi aliqvot centena epigrammata Latine verſa. Anthologias enim editionem moliri ſe, qvi erat inter eos junior, ajebat. Sed cum operantibus omnia Dii vendant, volui ad te ſcribere, non qvòd ignotus tantum beneficium à te ſperare auſim, ſed ut mihi viam ſternam ad futuram notitiam, ſi me Caſaubono, Baudio Heinſioqve noſtris deprecatoribus apud te uti contingat. Simul ut officia mea offerrem tibi, in qvibus ut deſideres aliqvid non committam; tu modo adoleſcentem nobilem, amicitiæ tuæ fores pulſantem, admittere ne gravare. Videbis brevi* Nigidii Figuli *ex Hetruſca diſciplina Tonitrualis Obſervationum librum, iterumqve Varias Lectiones noſtras, in qvibus, ut par eſt, honorificentiſſimam tui mentionem non ſemel facimus. Eas pridem vidiſſes, niſi me Juris ſtudium ab his elegantis*

gantis aliqvantum avocaſſet. Qvod ſi deſideras, miſſurus ſum magnum cumulum emendationum Ioſ. Scaligeri in Oppianum tuum, qvas dono nobis dedit heros ille, dum qvondam amiciſſimus vivebat nobis. Vale, Vir Cl. & me benevolentia tua complecti ne gravare. Doctiſſ. Picarto *ſalutem dici velim, cujus Varias nuper legimus beneficio Baudii noſtri. Talia enim huc non commeant. Sunt in iis qvædam, de qvibus per otium cum ipſo agere velim. Scribe mihi, qvid in Veriſimilibus ſuis a te illaudatus Veſpillonides furatus ſit, ac de toto illo Symmachi tui negotio. Tale enim qvid meditamur. Certum eſt, nihil omittere, poſtqvam iacta eſt alea, qvod defendendo Scaligero facere videbitur. Iterum vale.*

Veſpillonides, cujus heic mentio fit, eſt *Caſp. Scioppius*, Scaligero maſtix.

Vol. XLVIII.

primo loco LXXVI. exhibet epiſtolas ad *Zach. Pruſchenckium*, de qvo ad Vol. XLIII. diximus, & ipſius ad alios autographas. Inter has ſunt *Jo. Mich. Dilherri*, *Sal. Glaſii*, *Caſp. Facii*, *Jo. Chriſtfried Sagittarii*, *Tob. Adami*, *B. Cellarii*, *Theophili Coleri*, *Caſp. Barthii*, D. *Stahlii*, *Gothofr. Cundiſii*, *Wilh. Lyſeri*, *Jo. Muſæi*, *Jo. Zeiſoldi*, *Jo. Weiſii*, *Wern. Rolfinckii*, *C. Rebhanii*, &c. *Prueſchenckii* ipſius numerantur duodecim, tum ad nonnullos eorum, qvos dixi, tum ad alios ſcriptæ. Accedit ejusdem oratio duplex, altera in capeſſendo

ſendo munere Prorectoris, altera in eodem deponendo recitata.

Reliqvæ, à variis antiqvioris & recentioris memoriæ ad varios datæ, *ducentæ* ſunt. Inter eas video *Caſp. Peuceri*, *Franc. Hotomanni*, *Phil. Sidnei*, *Hub Langveti*, *Jo. Matheſii*, *Dan. Schelſtrateni*, *Chriſtoph. Pezelii*, *I. C. Sviceri*, *Iac. Sirmondi*, qvatuordecim, *G. G. Leibnitii*, *Martini Ruari* ad Abrah, Calovium duæ, qvæ tamen exſtant inter editas Centur. I. p. 205 & 216. ſqq. in 8. & ex autographis his ſuppleri ſubinde poſſunt, *Sam. Rachelii* multas &c.

Ex *Barthii* ad *Prueſchenkium* epiſtola Halis 1641. data hæc juvat deſcribere:

Adverſariorum Tomi duo, primum ſeqventes, jam pulſant repagula, ſi qvid in Entero veſtro cordis, poſtulanti illi non valde refragabimur, ſolum ut me vivo merces illa extrudi poſſit. Valde enim vereor Harpyias, ſi vel in Belgium ſcripta mea amandentur, vel poſthuma relinqvantur. Non habet ille homo veſter, qvod de damno metuat. Qvi enim primum volumen ediderunt, totum jam decennium poſcunt reliqva. Sed capite præmortuo metuimus qvod ſupereſt Particulonum. Liber necdum integre editus erat, cum ad qvingenta exemplaria jam paratos habuiſſe emtores præſentes adhuc literæ Clementis Schleichii teſtatæ ſunt. Par ratio Claudiani, Papinii, & viginti aliorum optimorum Auctorum, qvorum codices non ceſſant Batavi Typographi expetere.

Male

Male heic ominatus eſt *Barthius* Adverſarius ſuis, & nimis qvidem ex vero. Ex ſuperioribus enim conſtat, ea poſt fata ejus in furunculi alicujus manus incidiſſe, inde vero vi juris extorta etiamnum in eruditorum clauſtris hærere.

Vol. XLIX.

ſuppeditat epiſtolas autographas CXXX. olim ad B. *Io. Henr. Majum*, Theologum Gieſſenſem, ſcriptas, qvæ hiſtoriam Eccleſiaſticam pariter & literariam illius, qva floruit, ætatis egregie illuſtrant. Epiſtolæ ipſæ ſecundum nomina Scriptorum, literarum ordine diſpoſita, ſibi invicem ſuccedunt. Illas ſeqvuntur epp. XXVIII. *Metrophanis*, Hieromonachi Critopuli, Berrhœa Macedonis, Græcè ad Profeſſores & Conſiliarios aliosqve eruditos Wurtenbergenſes datæ. Tum legis undecim ejusdem *Metrophanis* Latinas, Græcarum illarum fere interpretes. Seqvuntur tria teſtimonia, Metrophani ab Academia Altorfina & Julia, Senatu item Norimbergenſi, data. Hæc excipiunt aliæ tum ipſius Metrophanis epiſtolæ ad Wurtenbergenſes, partim Germanice converſæ, tum nonnullorum Wurtenbergenſium, v. c. *Io. Glöckleri*, *Io. Conr. Brotbeccii* ſive *Artopæi*, aliorumqve ad *Metrophanem*, partim in Germania adhuc,

partim in Italia versantem, iterqve Constantinopolin meditantem, scriptæ.

Inter illas, ad D. *Majum* datas, habes *Eberh. Anckelmanni*, *Christoph. Barthii*, *Bashusenii*, *Calovii*, *Mart. Difenbachii*, *Dionysii*, (Græci, Abbatis & Archimandritæ,) *Jo. Adolphi Frohnii*, *B. H. Gebhardi*, *Jo. Ern. Gerhardi* multas, *Abrah. Hinckelmanni* unam ad *J. B. Ritterum*, de Majo Giessam vocato, tres ad *Majum* ipsum, *Jo. Mich. Langii* plures, *Iobi Ludolfi* decem, *I. B. Maji*, *H. G. Masii*, *Meuschenii*, *Phil. Mulleri*, Theologi Jenensis, *R. M. Meelfuhreri*, *Io. Georg. Pritii*, *Godof. Vockerodtii*, *Io. Wilh. Zieroldi* &c.

Describam hic partem epistolæ *Iobi Ludolfi* an. 1697. Francofurto ad Mœnum datæ.

Perro pro ea, qvæ inter nos est, fida atqve familiari amicitia, celare te nolo, mihi novum atqve insignem amicum obtigisse. Is est Matthæus Leydeckerus, pastor primarius Reformatorum Batavie in India. Qvi perdoctam atqve humanissimam epistolam ad me scripsit, in qva late pertractat, qvæ cum Morado Armenio, nunc tertium, (ut ipse qvidem præ se fert) Legato Aethiopico, acta fuerunt; additis illius responsionibus ad qvæstiones meas prolixas qvidem, sed mihi parum satisfacientes. Est enim homo simplex, & purus putus idiota, qvi nec legere nec scribere callet. Cum illi ostendissent opus meum, privatim tabulam Chorographicam Aethiopiæ, obstupuit, & dixit: Si

Rex

Rex ſciviſſet, homines in Europa dari, qvi Aethiopice ſcirent, illum literas Aethiopicas in Europam daturum fuiſſe. Præterea multa utiliter monuit de literis Arabicis, latine à me verſis, & notavit loca nonnulla Arabica mendoſe ſcripta, qvæ mihi negotium faceſſerunt. Denique inſignem conjecturam profert de vera ſignificatione vocabulorum זרזיר מחנים, *de qvibus animadverſionibus tuis ad Coccejum rectiſſime dicis, nihil ſolidi afferri de his vocibus à Lexicographis & Interpretibus. Certe frivola ſunt pleraqve, qvæ ab illis afferuntur, & a veteribus Rabbinis traduntur, qvæ legere eſt apud Bochartum Part. I. lib. I. c. 6. p. 102. ut recte notaſti.* Leydeckerus *ergo, lecto commentario meo, & viſa imagine depicta* Zecoræ, *alias* Zebræ, *tot pulchris Zonis circa lumbos cinctæ, ſtatim in mentem illi venit, formoſiſſimum iſtud animal à Salomone intelligi, qvod ex Africa in Palæſtinam facile duci potuit. Etenim neutiqvam veriſimile videtur, Salomonem vulgare qvoddam animal novo & inuſitato nomine appellare, & potius deſcribere obſcure, qvam genuino nomine inſignire voluiſſe. Nihil enim cauſæ ſubeſſe videtur, qvod non dixerit* סוס, רכב, גבורה & *ſimilia antiqvorum valde abſona. Qvomodo, qvæſo, cingula lumborum ad gallum applicabunt? Probavi illius conjecturam multis aliis rationibus additis. Qvid tibi videatur, ſcire aveo. Vicisſim ab eo petii, ut mihi judicium ſuum de meis* שלום *exponat.*

Vol. L.

constat epistolis CCLXXX. autographis ad *Salom. Lenzium* datis. Agmen ducunt literæ qvædam *Iacobi Lenzii* Pastoris Redekinienſis 26. Septembr. an. 1622. ſcriptæ, ad *Salomonem* noſtrum, filium. Inter reliqvos Scriptores eminent *Andreas Grosbenningius*, D. *Paul. Rocherus*, D. *Erneſtus Stiſſerus*, *Mart. Lenzius*, frater *Salomonis*, *Udalricus Nagelius*, *Frider. Balduinus*, ipſe *Salom. Lenzius* &c. Pleræqve epiſtolæ ab obſcurioribus hominibus ſunt profectæ, multum tamen faciunt ad ſtatum religionis Evangelicæ in urbe Ratisbonenſi, ea ætate, qva Lenzius illi cum Antiſtitis auctoritate præfuit, rectius cognoſcendam. *Lenzius* noſter Kadæ, vico Magdeburgenſi an. 1589. 9. Novemb. natus, Chriſtiano Wilhelmo, Marggravio Brandenburgenſi, Halæ a concionibus aulicis fuit, deinde vero an. 1629. Antiſtes generalis Ratisbonenſis conſtitutus, partes ſuas præclare tueri inſtituit, an. 1647. defunctus. Plura de eo videbis in *Pauli Freheri* Theatro p. 533. & B. *Serpilii* præfat. ad *Io. Henr. Kindervateri* Nordhuſam Illuſtrem plagula c. p. 2. ſqq.

LI.

complectitur epiſtolas Principum & aliorum illuſtrium Virorum & Acta varia maximam

ximam partem authentica, qvæ ad res Palatinas circa tempora Friderici, Regis Bohemiæ, & ejus exceſſum, usqve ad annum 1637. cognoſcendas pertinent. Epiſtolæ & documenta ſunt CXXXI. qvæ ſigillatim enarrare non lubet. Simile Actorum Bohemicorum ab anno 1616 ad 1620. volumen MS. habes in Bibliotheca Uffenbachiana MS. in fol. p. 912. ſqq.

Vol. LII.

ſiſtit, una cum qvinqve ſeqventibus, epiſtolas ad *Io. Iac. Grynæum*, Theologum Baſileenſem, a variis exaratas qvas ex *αὐτογεάφοις* Bibliothecæ publicæ Baſileenſis luculente deſcribi curavit *Uffenbachius ὁ μακαρίτης*. Epiſtolæ ipſæ ſecundum Scriptorum nomina, ordine literarum diſpoſita, leguntur. Primum hoc conſtat epiſtolis CLXI & primas duas literas A & B. complectitur. Agmen ducunt duæ epiſtolæ Chriſtiani, Principis Anhaltini. Seqvuntur epiſtolæ plures *Menſonis* & *Hem. Altingiorum*, *Georg. Wolfg. Acontii*, *Nicol. Agricolæ*, *Io. Althuſii*, *Io. Ampliæ*, *Marci in Alben*, *Wolfg. Amlingii*, *&c. Pauli & Petri Brederodiorum* permultæ, *Ioach. a Berg*, *Wenceslai Budowez a Budowatz*, cujus ſunt epiſtolæ ſeptem & viginti, bene longæ.

Vol. LIII.

epiſtolas ad eundem habet CCCXV. eorum, qvorum nomina a literis B & D. incipiunt. Tales ſunt *Egenolphi à Berckheim, Nicol. à Burghaas, Adriani Borckii, Ioh Brantii, Alberti & Thomæ Blarerorum, Theodor. Brandii, Marci Beumleri, Balthaſ. Brunneri & Mich. Philippi Beutheri.* Seqvuntur epiſtolæ illorum, qvorum nomina incipiunt à litera D. Legis itaqve illas *Lamb. Danæi, Ruperti Durrii* &c. ex litera vero E. D. *Pauli von Eitzen, Io. Eſychii, Io. Ewichii*, Medic. D. ex litera F. *Ezech. à Falleiſen, Steph. Fabri, Mich. Fuchſii* &c.

Vol. LIV.

habet epiſtolas ad eundem CCCCXXII. qvæ ad literas G H & I. pertinent. Exſtant heic *Iac & Antonii Geuderorum*, *Caroli Gerbelii, Io. Iac. Graſſeri*, aliqvot, *Franc. Gomari, Hieron. Gareiſenii, Io. Caſp. Grynæi*, ex fratre nepotis, *Io. Gebhardi, Ottonis à Grünrade*, permultæ & eruditæ. Ex litera I. *Chriſtoph. Philippi*, & *Chriſtiani Andreæ Iuliorum* multæ, *Io. Ionſtoni*, Scoti, *Georg. Ieniſchii, Stephani Iſaaci, Io. Iezleri.* Ex litera H. *Petri Hubneri*, triginta, *Io. Ioach. Halleri*, Dani, *Io. Huldrici Herlini*, Bernatis, *Rob. Hovæi*, Abredonenſis Scoti, &c. &c.

Vol. LV.

eas habet epiſtolas, qvæ ad literas N, O, & P, ſpe-

P. ſpectant. Sunt nonnullæ Comitum aliqvot Naſſavienſium, multæ *Bartholomæi Niemizianii*, Moravi, multæ Comitum Oſtenburgenſium, plures *Volradi à Pleſſen*, cujus ſunt qvadraginta, *B. Pitiſci*, *Davidis Peageti*, Oxonio datæ, D. *Georg. Pauli*, *Petri Pageti*, *Jo. Poſthii*, Med. D. *Pauli Pleisneri*, &c.

Vol. LVII.

abſolvitur epiſtolis CCCXVII. eorum potisſimum, qvorum nomina ab M. R. & S. incipiunt, qvamvis & aliæ aliorum ſint interjectæ. Ita occurrunt multæ *Jo. Monavii*, *Georg. Remi*, *Qvirini* & *Iacobi Reuterorum*, *Cunr. Rittershuſii*, *Iſraelis Ritteri*, &c. Ex litera S. habes *Io. Rodolphi Stumpfii*, *Abrah.* & *Tobiæ Sculteterorum*, *Melch. Stollii* &c. Inſertæ qvoqve huic volumini ſunt multæ *Thomæ Grynæi*, patris, ad *Io. Iacobum* filium, numero triginta.

Vol. LVIII.

refertum eſt epiſtolis ad *Grynæum*, quæ ad literas alphabeti reliqvas, usqve ad finem ſpectant, v. c. *Pauli* & *Danielis Toſſanorum* multæ, *Eberhardi* & *Alberti Tweſtrengiorum*, *Hieron. Treuleri*, *Io. Wirtzii*, *Eberhardi à Weihe*, *Anton. Wyſſii*, *Frider. Widebrami*, *Caroli*, & *Ladislai Welcni*, item *J. Dionyſii*, *Zerotimorum*, *Theodori*, *Jacobi* & *Davidis Zvvingerorum*, *Huldrici* & *Andreæ Zvvingliorum*, *Io. Zangeri*, *Wilh. Zvvidelini*, &c.

Io. Iac. Grynæus, ad qvem hae epiſtolæ datæ ſunt, an. 1540. natus, *Heidelbergæ*, & tandem *Baſileæ*, magnæ inter eruditos exiſtimationis, docuit, tandemqve an. 1617. octogenario proximus diem obiit. Auctor vitæ *Ant. Walæi*, hujus Operibus præmiſſæ, p. 15. b. eum appellat *virum cautum, prudentem, eruditionis ſolidæ, ſed regimini civitatis vehementer intentum, adeo ut ad ejus nutum regi Baſilea crederetur.* Plura de eo habes apud *Melchiorem Adamum* in Vitis Theologorum p. 412. *Paul. Frecherum* in Theatro Part. I. p. 392. *Herm. Wittenium* in Diario Biographico ad an. 1617. & *Th. Fullerum* in Abele Redivivo p. 535. ſq. Ex his epiſtolis multa diſcere licet, quæ ad hiſtoriam civilem, eccleſiaſticam imo & literariam illius ætatis ſpectant. Ipſius *Grynæi epiſtolarum Selectarum* (*qvæ ſunt ad veram pietatem incentivum*) libros duos edidit *Abrah. Scultetus*, Offenbaci 1612. 8. qvemadmodum B. *Sigismundus Iac. Apinus*, ejusdem Epiſtolas familiares LXVI. ad *Chriſtoph. Andr. Iulium*, (cujus multæ ad ipſum in his Voluminibus exſtant) ex tabulis MSS. primus in lucem produxit. Francofurti 1715. 8. qvibus & Vita ejus, ab *Adamo* deſcripta, præmiſſa eſt.

Vol. LIX.

exhibet epiſtolas apographas *Cælii Secundi Curio-*

Curionis ad varios, nec minus ipſius ad alios datas, num. LXXIV. *Curionis* illæ inſcriptæ ſunt *Andreæ Gruntlero*, *Olympiæ Moratæ Grunthleræ*, *Ioach. Perionio*, *Xyſto Betulejo*, *Phil. Melanchthoni*, duæ, *Gilberto Cognato*, *Sigiſmundo Auguſto*, Poloniarum Regi &c. Inſertæ ſunt n. III. Vindiciæ *Curionis* germanicæ a criminationibus *Petri Pauli Vergerii*, & epiſtola iracundior *Mauritii*, Haſſiæ Landgravii, ad *Horatium Curionem*, noſtri filium, una cum hujus defenſione qvalicunqve. Ad *Curionem* noſtrum exſtant epiſtolæ, *Melanchthonis* una, *Bullingeri*, plures, *Buceri* duæ, plures *Bezæ*, tum ad Curionem, tum ad alios, *Muſculi*, *Eraſti*, *Dudithii*, *Beati Rhenani*, *Caroli Molinæi*, *Jo. Fichardi*, *Adr. Junii*, *Gilberti Cognati* aliqvot, *Scalichii*, *Jo. Sturmii*, *Mart. Cruſii*, & *Io. Iac. Weckeri*.

Curionis hujus, Profeſſoris Baſileenſis, doctrina ut ex his ejus epiſtolis, ita ex illis aliorum, perſpicitur, de cujus meritis plura dabunt *Paulus Freherus* in Theatro p. 1465. *Pet. Baelius* in Dictionarii Tomo I. & *Niceronius* in Memoriis ad hiſtoriam eruditorum gallicis Tom. XXI. p ſqq. Adde Anonymi collectanea in Actis Literariis Struvianis Faſcic. V. p. 75. ſqq. inprimis vero *Io. Nicol. Stupani* Orationem Panegyricam de *Curionis* vita & obitu *Baſil.* 1570. recitatam, & editam, poſtea vero optimo conſilio in Amœnitatibus Literariis Tom.

XIV. p. 325. ſqq. recuſam. Seqvuntur in eodem volumine epiſtolæ LI. aliorum, & veteris & recentioris memoriæ, maximam partem autographæ, Inter eas ſunt duæ *Melanchthonis*, ad Juſtinum Goblerum, Juris Doctorem, *Erasmi*, *Buceri*, *Eobani Heſſi*, *Micylli*, *Io. Spangenbergii*, *Franc. Hottomanni*, *Hortlederi*, *Seckendorfii*, *Io. Gothofredi Herrichii*, Rectoris qvondam Scholæ Lipſienſis, D. *Io. Frider. Mayeri* ad Herrichium, *Sam. Groſſeri*, &c. Inter eas exſtat qvoqve copia Reſcripti *Wilhelmi Erneſti*, Ducis Vinarienſis, ad B. *Georgium Gœtzium*, Theologum & Antiſtitem Generalem Jenenſem, qvo vocatio ad munus Concionatoris Aulici & Antiſtitis generalis Vinarienſis, ad ipſum olim delata, qvam is primo acceperat, deinde autem tergiverſari videbatur, penitus, non ſine teſtata ira, reſcinditur.

Calcem deniqve occupant epp. XVII. ad *Dieterichios*, JCtos Francofurtenſes & Argentorat. variorum autographæ, v. c *Io. Henr. Maji*, *J. H. Barthii* &c.

Habe tibi ex hoc Volumine ſeqventem *Erasmi Roterodami* epiſtolam *Ludovico Carino*, Confluentiæ tunc degenti, Baſilea 9 Kal. April. 1527. datam, nec adhuc editam.

Si recte vales, ignoſcemus Iovi, qvi te tam duriter tractavit, ut homo nimium mollis duret, Ceres. Plus ſatis indulges Medicis. Si veredarius

rius esses, melius haberes. Leodegarium video nusquam. Quantum periculum est, quosdam demeruisse! Tuos sex coronatos nondum queo concoquere, quos praeter meum & morem & ingenium obtrusisti, homo violentissime. Respondi tuo Furtstero, sed paucis. Fac, sciam, quid agas, quidque valeas. Basileae 9 Kal. April. an 1527.

P. S. Respondissem D. Cancellario, sed illius epistola inter tot acervos schedarum non venit ad manum. Tu fac, epistolae partes expleas tua facundia.

Exstat alia ad *Carinum* hunc *Erasmi* epistola inter eas, qvae Londini 1642, fol. junctim prodierunt, p. 572.

Vol. LX.

comprehendit epistolas virorum doctorum ad *Io. Meursium* apographas CCC XXVI. Exstant heic *Ios. Scaligeri* duae necdum editae, *I. A. Thuani* una, *Pauli Petavii*, Consiliarii in Curia Parisiensi; *Caroli Paschalii*, *Iac. Bongarsii* qvinqve, qvarum una tantum legitur inter epistolas Bongarsii & Lingelshemii Argentorati editas, p. 87. *Iac. Gilloii* qvatuor, *Nic. Rigaltii* tres, *P. J. Mausaci* duae, *Iac. Lechii*, *Andr. Riveti* &c. Summatim dicam, epistolae hae vere selectae sunt, & ab iis profectae, qvi illa aetate eruditionis laude prae aliis clarebant atqve adeo dignae omnes, qvae lucem videant.

Scali-

Scaligeri una ita habet:
Mitto tibi epistolam Marci Velseri, *quam recens accepi. Oportet te rescribere, sed monebo, cum opus erit. De* vasis natalibus *quod quæris, non tu primo quæris, & hoc mihi olim vocabulum injecit* (forte addendum, *scrupulum*) *sed adhuc dubito. Nam quicquid alii ad interpretationem aut correctionem vulgaris lectionis adferunt, non facio nauci. Si quid melius succurrerit, non illud invidebo tibi. Vale, & nos ama. XVI. Kal. Decembr. Juliani.*

Subjungo sequentem *Davidis Hæschelii*, Augustæ Vindelic. 5 Kal. Novembr. 1613. scriptam:
Accepi, V. C. Hesychium *tuum, donum per quam gratum, non eo solum, quod amoris in me tui est significatio, verum etiam, quia editis abste quibuscunque eruditiorem me fieri posse video. Andronici περὶ παθῶν opusculum nisi te jam habere existimassem, pridem misissem. Quamquam ita pauca sunt impressa exempla, ut haut sciam, ullane, quæ Bibliopolæ nostri est negligentia, Francofurtum venerint. Casaubonus semel atque iterum notis in Theophrasti Characteres ejus meminit. Operæ igitur omnino facturus esses pretium, si eam tua interpretatione ac notis, ut Hesychium modo, eruditissimis illustrares, maximo studiosæ juventutis fructu, minimo tuo labore, qui in hoc lucubrationum genere es exercitatissimus. Herodis inscriptionem abs te versam habeo ex tuo autographo, atque ut Casaubonus noster edidit;*

unde

unde minus de Goslarienſi laboraram editione, ad quam nega: aut quicquam accesſiſſe; neque ullum hic ejus exemplum venale proſtat. Quod ſi de illa recognoſcenda cogites, vide an v. 6, ita poſſit legi: ἐν ἀθανάτοις ἀλέγηθον, i. e. recenſeamini. *Sic Pindarus Od. II. Olymp.* Πηλεύς τε καὶ Κάδμος, ἐν ἀθάνατοις ἀλέγονται. *Nam in MS. Roma huc ad Nobiliſſ. noſtrum* Velſerum *miſſo, ultima ſolum litera deſideratur in* ἀλεγήθω. *In edit Caſauboni, poſt verſum* 12 *hic deſideratur:* Τὴν ὄσσην περὶ τεῖχος εὐτρόχου ἐφάνται. *Verſu* 24. *videtur legendum* χλωρὰ θέσσαν, *velut Heſiodus in Scuto Herculis v.* 146. *dixit,* λευκὰ θέσσαν. *Verſu* 25. *putabam legi poſſe* δμωῇ κ. α. ῥῆξεις μαχέλλῃ. *Verſu* 34 *pro* ῥόμβος *malim* ῥέμβος. *Epiphanius in Ancorato de cultu Deorum:* ἄλλος δὲ ῥέμβος (*lib. eodem* τέρεμβος *mendoſe*) ἢ ῥέμβας Ἀρτεμιν προεζύπτε, καὶ μέθυσος Διονύσιον, καὶ πολύμοχθος Ἡρακλέα. *Sed ſus Minervam qui hæc ad te. Si tibi notus ſit aut amicus Jac. Philip. Mauſſacus, Biterrenſis, qui mecum hic ante quadriennium fuit, cum eo per literas agi poſſit (quanquam ubi locorum vivat, me latet, niſi forte in Gallia) de Harpocratione, quem e codice MS. integriorem & emendatiorem promiſit. Ampliſſ. noſter Velſerus te peramanter ſalutat. Salutem plurimam adſcribo etiam Cl. Heinſio, cui ex literis Ioder. Morelli, Profeſſoris Regii, hæc ad me, ni moleſtum, ſignifica, & quidem ipſa ejus verba: Audio etiam, penes Danielem Heinſium*

ſtum, Clariſſ. doctisſimumqve virum eſſe MS. Epictetum, qvi Joſ. Scaligeri, *μακαρίτα*, fuerat, emendatiorem amplioremqve. Ego humanitate Viri illius, cum ſingulari eruditione juncta, plane perſpecta, non dubito, qvin tibi publico bono peculium iſtud conferat vel ultro. *Hæc ille, qvi etiam ad Arianum nonnullas emendationes ſponte miſit. Bene vale, Vir eximie, meqve amare perge.*

Andronicus περὶ παθῶν, cujus heic mentio eſt, prodiit primum *Haſchelii* cura an. 1593. 8. poſtea a *Dan. Heinſio* cum Paraphraſi Nicomacheorum editus. Qvæ ad *Herodis* Attici Inſcriptionem erudite heic monuit *Hæſchelius*, ea conferre poſſis cum editione ejusdem Inſcriptionis Salmaſiana, qvam *Th. Crenius* ſub incudem vocavit in Muſeo Philologico & Hiſtor. Secundo p. 7. ſqq.

Vol. LXI.

ſiſtit epiſtolas variorum Theologorum ad *Conradum Lælium* autographas XCIV. Habentur ibi *Frider. Balduini* novem, *Frid. Taubmanni*, una, D. *Matth. Hoci* tres, *Iac. Heilbrunneri* unam, *Georg. Zeæmanni* duæ, *Jo. Meelfuhreri* viginti, *Jac. Laelii* & *Mentzeri* aliqvot &c.

Laelius ille, cui epiſtolæ hae ſunt inſcriptæ, Francus, Paſtor tandem & Conſiliarius Conſiſtorialis Onoldinus, indeqve

ad

ad Colloqvium Ratisbonenſe ablegatus, an. 1634. diem obiit, de qvo poſt *Wittenium* in Diario Biographico ad an. 1634. videbis *Gothofredi Ludovici* Hiſtoriam Rectorum &c. Part. II. p. 219. ſq. Qvantus ille viſus ſit *Frid. Balduino*, ex ſeqvente ejus epiſtola, an. 1610. Jun. 8. ad ipſum data, patebit:

Superiore Aprili tuas a te accepi, una cum commentario luculentiſſimo de Perſona Chriſti, qvem à me legi, &, num eum publico jure dignum cenſeam, ſcire voluiſti. Etſi vero eum me non eſſe ſcio, qvi tam præclaris ingenii tui foetibus vel limam vel cenſuram adhibere auſim, qvippe qvem ſcio tantis ingenii dotibus, ea rerum Theologicarum experientia, inſtructum, ut ab eo non niſi ſingulare aliqvid & bono publico dignum proficiſci qveat; gratulatus tamen mihi ſum, qvod librum tam præclarum legere mihi contigit, antequam a qvamplurimis legatur aliis. Vt autem judicium meum ſuperaddam, vix audeo. Tuæ tamen ut ſatisfaciam petitioni, jam dixi, qvod res eſt! librum præclarum & commentarium luculentum nominavi, illud propter materiæ, qvam tractas, amplitudinem ac majeſtatem; hoc propter methodi & tractationis perſpicuitatem pariter ac ſoliditatem. Proinde noli defraudare diutius Eccleſiam Chriſti optimo hoc ſcripto, bene mereberis, ſatſcio, de multis non modo Theologiæ ſtudioſis, ſed &, ſi qvid judicare poſſum, Eccleſiæ miniſtris. Ego certe Eccleſiæ nomine pro tam eximio labore gratias tibi habeo,

beo, qvas debeo, h e. longe maximas, Deumqve veneror, ut te in Ecclesiæ satis adflictæ commodum, in tanta præclarorum, h. e. tui similium Theologorum penuria, qvam diutissime præstet incolumem &c. &c.

Liber ille *Lælii*, de qvo heic agitur, sub titulo: *Exegesis de Persona & officio Christi* contra Bellarminum aliosqve prodiit Francofurti 1611. 8.

Vol. LXII.

epistolas habet autographas, Theologorum inprimis & aliorum eruditorum virorum, ad *Jo. Meelfuhrerum* CXXXI. Leguntur ibi epistolæ *Jo. Gerhardi*, septem, *Aegidii Hunnii* duæ, *Nicol. Hunnii* qvatuor, *Balthas. Meisneri* duæ, *Eliæ Ehingeri* tres, *Frider. Balduini* novem, *Wilh. Lyseri* qvatuor, *Jo. Sauberti* qvatuor, *Erasmi* & *Jo. Schmidii* duæ, *Jo. Henr. Boecleri* duæ, *Alberti Graueri* tres, *Laurent. Lælii* septem, *Christoph. Schleupneri* octo, *Salom. Lenzii* duæ, *Mich. Waltheri*, *Dan. Schwenteri*, *Melchioris Rinderi*, &c.

Jo. Meelfuhrerus, an 1640. ætatis 70. satis functus, Abbatem & Professorem Theologiæ *Heilsbronnensem*, deniqve vero Pastorem *Onoldinum* egit, de cujus vita & scriptis post *Wittenium* in Diario Biographico ad an. 1640. consulendus fuerit *Godofredus Ludovici* in Historia Rectorum, Gymnasiorum & Scholarum celebriorum

Part. II. p. 207. ſq. Epiſtolæ, ad eum ſcriptæ, præclara multa continent, ad doctrinam Theologicam & conditionem Eccleſiæ illius ætatis perſpiciendam facientia. Speciminis cauſa deſcribam nonnulla ex B. *Jo. Gerhardi* ad eum epiſtola Jenæ 1630. 11. Január. data.

Pro transmiſſo in epiſtolam priorem ad Timotheum commentario gratias ago longe maximas, relaturus, qvamprimum ſe occaſio obtulerit. De Eccleſia Chriſti, hoc tempore maxime preſſa, R. V. Excell. optime meretur, Apoſtolicam ſinceritatem ab adverſariorum corruptelis vindicando, & ſtudioſorum, fidei ſuæ commiſſorum, animos in veritate confirmando. Ego adhuc occupatus ſum in Confeſſione Catholica *pertexenda, qvamvis hujus operæ meæ nullum videre poſſim exitum. Impedimenta non mediocria objecit hactenus Rectoratus Academicus, qvem invitus ſuſcepi. Poſſent bonæ horæ melius collocari, qvam cognoſcendis & decidendis negotiis Academicis. Floret adhuc Dei beneficio Academia noſtra, ut roſa inter ſpinas: undiqvaqve enim milite circumcincti ac circumſepti ſumus, & hebdomadariis contributionibus eam in rem faciendis ſubditorum ſuccus & ſanguis penitus exhauritur. In Electoratu Saxonico agitur de Conventu Theologorum Lipſiæ inſtituendo, in qvo deliberatur de ſcripto Apologetico pro* Saxonica Pupilla, *ac de Jubilæo editæ Confeſſionis Auguſtanæ indicendo. Ad eum me evocatum iri credo, cum Sereniſſ. Elector hoc jus*

ſibi reſervaverit, cum Witebergenſi vocatione ſuperiore anno me liberaret. Scripta Papalia, Saxonicæ Pupillæ oppoſita, non unius ſunt generis: ideo non videtur idem de omnibus ſtatuendum. Sed hæc in ipſa deliberatione expendi poterunt. In Epiſcopatu Halberſtadenſi, patriæ meæ proximo, reformatio Pontificia haud ita pridem cœpta. Canonici juſſi ſunt uxores dimittere, & Papalem religionem profiteri, vel Canonicatu ſe abdicare. Ad unum omnes elegerunt poſterius, maſcule reſpondentes, datam à S. Cæſar. Majeſt. fidem de ſeptennio ab hoſtibus Imperii & pacis publicæ turbatoribus contra S. Cæſar. Majeſt. voluntatem violari. Sed prævaluit Reformatorum impetus, inter quos familiam ducit Epiſcopus Osnabrugenſis, qui conſecrationem vel potius repurgationem templi Cathedralis ritibus in Eccleſia Romana receptis peregit. Rogandus eſt Deus, ut terminum hoſtili violentiæ ſtatuat, ſanctum verbi depoſitum inter nos ſervet, & Eccleſiæ ſuæ halcyonia concedat. De Dn. D. Zeæmanno rumor hic ſparſus, quod libertati reſtitutus ſit, ſed, antequam amicorum literis de eo edocear, fidem nondum adhibere poſſum.

Idem in ep. Cal. Maji ejusdem anni ſcripta ita:

D. Zeæmanni *univerſales multos conturbant & contriſtant. Frater ipſius mihi nunciari curavit, quod defenſionales in publicum edendas meditetur. Dubito, an hac ratione ſibi ſuisque recte conſulturus ſit. Monui, ut extra Rom. Imperii limites alio ſeſe conferret, & quicquid Jeſuitarum fraudu-*

dulentia circumseptus, eorumque violentia coactus fecerit, quam possit, excuset vel deprecetur. Obstupesceret profecto R. V. Exc. si Reversales legeret. Defensionales legi, sed vix cordatis poterunt satisfacere. Occupatus sum dies noctesque in labore, quem Conventus (Lipsiensis) *mihi imposuit. Interim directio scripti Apologetici ejusdemque adornatio Dn. D. Hoë impositа. Compositio pacis a nostro Hortledero & Arumæo, sub incudem examinis revocabitur. Theologica mihi relinquentur, interim ad eorum examen non descendam, nisi prius illi suum pensum absolverint: sunt enim tardiores. Dux Wirtenbergicus eandem operam suis Theologis & JCtis demandavit. Confessio Catholica, in qua ex Pontificiorum scriptis nostram Confessionem demonstro, ad finem perducta est per Dei gratiam: volumina in folio complet tria. Spero, hunc laborem, Herculeum profecto, suo non carituruм fructu.*

Vol. LXIII.

sistit epistolas autographas CLXXXIII. Theologorum & aliorum clarorum Virorum, ad *Christophorum Meelsuhrerum* datas. Legis heic epistolas *Jo. Valent. Andreæ* septuaginta, *Wilh. Lyseri* septem, *Jac. Welleri* unam, *Jo. Sauberti* sex, *Jo. Hulsemanni* unam, *Jo. Henr. Bæcleri* qvatuordecim, *Jo. Scharfii* septem, *Salom. Lenzii*, *Georg. Casp. Kirchmaieri*, multas, *D. G. Dorschei*, aliqvot, *Pauli Rœberi*, *Jo. Schmidii*, *Jo. Pauli Felwingeri*, *Abdiæ*

Trevv, &c. Adſunt etiam nonnullæ ipſius *Chriſtophori Meelführeri* ad filios, *Jo. Burcardum* & *Chriſtophorum*, Wittebergæ ſtudiorum cauſa commorantes, ſcriptæ.

Chriſtophorus Meelführerus, Paſtor & Antiſtes generalis Onoldinus, ſcriptis non inclaruit, cetera de cœtu ſacro meritisſimus.

Jo. Saubertus illi in epiſtola Kal. Septembr. 1645. ſcripta hæc ſignificat: *Dresdenſes literæ nunciant, D. Hulſemannum in Poloniam ad Colloqvium charitativum, ut vocant, abiiſſe, ſed cum mandato Electoris expreſsiſsimo, ne cum Theologis Calvinianis faciat; contra vero* Calixtum *Bergio ſe adjunxiſſe*, (wolle mit ihm vor einen Mann ſtehen) *& profiteri jam aperte, Calvinianæ religionis exercitio locum inter nos Evangelicos dandum, imo, qvod miretis, Romano Pontifici privilegium tribuendum eſſe decidendi controverſias ſacras, excepto Symbolo Apoſtolico. Sic ad me Generoſus Dn. Metſchius, qvi addit ſub finem*: Ich befahre mich gäntzlich, dieſer Mann werde noch groſſes Unglück in der Kirche GOttes anrichten. *Atqve hoc ego dudum olfeci, ſed non impune.*

Idem in epiſtola vernacula, an. 1646. menſe Majo data, teſtatur, Francofurto nuntiatum ſibi eſſe, *Merianum* librum dicacem, qvi ſub *Eliæ Prætorii* nomine prodierit, ſumtibus ſuis Amſtelodami exſcribendum curaſſe, auctorem vero ejus eſſe

Weige-

Weigelianum qvendam, *Adlerum* nomine, Miniſterium deniqve Francofurtanum Senatum adiiſſe, ſpemqve eſſe, fore, ut Merianus ad rationem de hoc illiqve ſimilibus libris reddendam vocetur.

Vol. LXIV.

exhibet epiſtolas autographas CLVIII. a Theologis potisſimum ad *Jo. Chriſtophorum Meelfuhrerum* ſcriptas. Initium voluminis faciunt *Chriſtophori Sonntagii*, Theologi Altorfini, tres & triginta. Seqvuntur illæ *Jo. Meiſneri*, *Haberkornii*, *Hannckenii*, *Jo. Sauberti*, Theologi Altorfini, *Jac. Thomaſii*, *Jo. Friſchmuthi*, *S. B. Carpzovii*, *P. J. Speneri*, *Rechenbergii*, *Reiſeri*, *J. C. Wagenſeilii* multæ, *Eliæ Veielii*, *Jo. Fechtii*, *G. H. Goetzii*, *Jo. Mich. Langii* qvinqve & viginti, *J. W. Jægeri*, *Godofr. Thomaſii*, *Jo. Ludov. Hartmanni* multæ, *Kiliani Rudrauſii*, &c. &c.

J. C. Meelfuhrerus, SS. Theol. Licent. per multos annos Antiſtitem Swobacenſem primarium & Rev. Capituli Decanum egit, ſub initium Seculi XVIII. adhuc ſuperſtes. Exſtat ejus *Corona* centum Patrum Gieſſæ 1670. 4. edita, ut alia omittam. Confer cum hoc Volumine illud, qvod infra num. XXIIX. in 4. occurret.

Non injucundum, credo, Lectori fuerit, ſeqventia ex L. *Antonii Reiſeri*, egregii qvondam veritatis Evangelicæ teſtis, &

Paſtoris ad D. Jacobi Hamburgenſis, epiſtola Hamburgo 1680. data:

Hactenus non ſemel fui miratus, qvando audire coactus ſum, eſſe viros etiam eruditione ſingulari præditos, qvi Böhmii *phantaſmata in aliqvo habeant pretio, qvæ à ſpiritu meræ ſimplicitatis & ignorantiæ profecta eſſe conſtat. Nobis hic ab aliqvo tempore lis intercesſit cum qvodam* Pfeilio, *qvi ſe Licentiatum Theologiæ profeſſus eſt, atqve Paſtoratum in hac urbe ambivit, de qvo tamen cum innotuerit, qvod non niſi in Univerſitate Rintelenſi ſtudia tractaverit, in publica etiam Diſputatione ibidem theſes Syncretiſticas defenderit, Redum qvoqve adcerſiverit exinde, habuit nos ſibi adverſarios & proteſtantes; atqve ſperamus, nos per Dei gratiam ab ejus ſocietate ſuſpecta liberatum iri. De* Zeidlero, *Luneburgum vocando, inter id nihil certo habemus compertum. Avertat Deus hoc qvoqve malum nomen & omen, utpote per qvod Triga, à ſeculo & amplius Eccleſias in vicinia ſancto pacis vinculo uniens, ipſomet facto diſſolveretur, qvæ eo magis neceſſaria, qvo majori ſtudio Sathanas in noſtro etiam Collegio variam minatur disjunctionem,* Haccio, *qvi antehac non parum moleſtiæ creavit huic Eccleſiæ, poſt impetratum in Neapoli Paſtoratum, novos ciente motus, aliis qvoqve ex adverſo accedentibus, per qvæ occupationes & ſtudia non raro turbantur, ac ſolita qvies animi proſcribitur in exilium.*

In proximc ſeqvente epiſtola, eodem anno exarata, ita:

Ipſo

Ipſo hoc momento, qvo hæc ſcribo, ab Excell. Dn. D. Pomario, *Superattendente Lubecenſi, accipio literas, qvibus ſignificat, in locum nuper defuncti apud Luneburgenſes D.* Uffelmanni *a Principe deſignari D.* Zeidlerum, Dreieri *hactenus diſcipulum, &, ſi ita loqvi licet vel ſcribere, Archi Syncretiſtam. Qvi nuper nos fatigaverunt motus in caſu & cauſa ſimili, frater ſine dubio, Dominus Gener meus, utrinqve dilectiſſimus, qvi præſens hic non pauca de hoc negotio percepit, uberius enarravit. Inter id factum eſt, ut Theologi Rintelenſes, ſcripta ad Magiſtratum noſtratem epiſtola, minarentur, ſe nobis velle poſthac faceſſere negotium. Sed reſpondimus, eſſe nos ad qvævis tela excipiendum paratos, &c.*

Vol. LXV.

epiſtolas complectitur autographas LXIII. ad *Rudolphum Martinum Meelfuhrerum* a variis datas, v. c. a *Jo. Alex. Doederlino*, qvindecim, *Sam. Bened. Carpzovio*, *C. Sonntagio*, *Jo. Sam. Meelfuhrero*, *Jo. Nicolai*, &c. Inſeruntur his epiſtolæ variæ, hebraice tum a Judaeis, tum a Chriſtianis hominibus ad eundem ſcriptæ, una cum carminibus aliqvot & teſtimoniis in ejusdem laudem comparatis. Compara ſimile epiſtolarum volumen infra n. XXX. in 4.

Meelfuhrerus hic, SS. Theol. Licent. filius eſt *Jo. Chriſtophori*, de qvo modo diximus, in variis Academiis, nominatim Wit-

tenbergenſi verſatus, nec exiguam nominis celebritatem ex literarum & antiqvitatum, Orientalium inprimis, cognitione, qvam variis diſſertationibus teſtatam fecit, conſecutus. Eam vero ipſe conculcavit, poſtqvam an. 1713 inente veritati Evangelicæ, ad Pontificios delapſus, Auguſtæ Vindelic. non ſolum nuncium miſit, ſed eandem ſcriptis acerbisſimis oppugnavit. Vide in hanc cauſam Relationes Theologicas Innoxias an. 1713. p. 100. ſqq. & p. 851. ubi B. *Frider. Strunzii Examen Declarationis* Meelfuhrerianæ, Auguſtæ Vindelic. 1713. editæ, enarratur. Adde des beſchäftigten Secretarii Expeditionem XXVI. p. 135. ſqq. Idem tamen paucis poſt annis Lipſiæ & alibi, etiam apud nos, facti hujus pœnitudinem profeſſus eſt.

Accedunt in hoc volumine epiſtolæ LXV. variorum ad varios apographæ, v.c. *Theodoſii Zygomalæ* Protonotarii Græca 1575. CPoli ad lingvæ Græcæ ſtudioſos in Academia Tubingenſi eleganter ſcripta, una cum alia *Jeremiæ*, Archiepiſcopi CPolit. ad *Jacobum Andreæ* Cancellarium, & *Mart. Cruſium* eodem anno data, porro *Theodori Thummii*, *Laur. Lælii*, *Jo.* & *Chriſtophori Meelfuhrerorum*, *J. A. Scherzeri*, *Jo. Frid. Krebſii*, *Wolfg. Franzii*, *Jo. Brentii* &c. &c. In his legitur qvoqve epiſtola bene longa *Georg. Zea-*

Zœmanni, D. & Ecclesiæ Campidonensis Pastoris, & *Cunr Dieterici* D. & Superintend. Ulmensis, Ulmæ 1624. Cal. Maji ad Theologos Consistoriorum & Academiarum Electoralium Saxonicarum scripta. Colophonem imponit index codicum manu exaratorum, Græcorum, Latinorum, & inprimis Orientalium, qvos B. *Io. Christophorus Wagenseilius* olim possedit, qvorumqve maxima pars postea in Bibliothecam Amplissi. Senatus Lipsiensis transiit. Græci codices isti sunt:

1. *S. Athanasii ἑρμηνεία Psalmorum Davidicorum*, qvam ita enarratam lego: *Hanc ex Bibliothecæ civitatis Augustæ Vindelicorum latebris eruit V. C. Elias Ehingerus, eamqve descriptam munus obtulit Senatui Reipubl. Norimbergensis. Hic illa utendi & apographum faciendi potestatem mihi dedit. Inclytus Senatus Augustanus qvoqve mihi ipsius authentici exemplaris, qvo Ehingerus usus est, copiam benigne concessit, e qvo ab Ehingeri expressione variantes lectiones oræ mei libri adjeci, tum vero infinitis in locis textum corruptum emendavi. Deerant Psalmus primus & ultimus. Hoc ego supplementum ex Bibliotheca Electoris Bavari, etsi ipsius libri usum nullis precibus impetrare potui. Ehingerus Athanasianæ Expositionis versionem Latinam adornavit, cujus autographum, qvod solum exstat, repræsentabo. Addam Psalterium sic à me divisum, prout illud Athanasii contextus orationis deposcere videbatur. Athanasii li-*

ber Græcus qvartæ eſt formæ, à me ſcriptus. Ehingeri verſio in fol, expreſſa habet ipſum Pſalmorum textum additum. Volebam hæc edere.

2. Heronis Alexandrini *Pneumatica. Maximus liber, elegantiſſime in charta bombycina ſcriptus, qviqve accuratiſſimas & ſcitiſſimas* (addendum ſuſpicor, *picturas*) *adjectas habet. In his omnes intuentes admirati ſunt, qvod circini adhibiti (ſine qvo fieri non potuerunt) nullum apparet veſtigium.*

3. Aphthonii *Progymnaſmata*, & Hermogenis *Rhetorica cum Græco Scholiaſte, qvantum mihi conſtat, inedito. Codex eſt vetuſtiſſimus in charta bombycina qvartæ minoris formæ ſcriptus.*

4. Liturgia S. Chryſoſtomi, *in charta bombycina ſcripta in Oriente, ceu literarum ductus manifeſtant. Valde differt ab ea, qvæ in Operibus illius Patris & Tomo XII. Bibliothecæ SS. Patrum exhibetur. Liturgiæ accedit Legenda Sacra Vultus Lucenſis, h. e. Lebonii Diaconi liber de inventione, revelatione ac translatione ſanctiſſimi Vultus Lucenſis. Additur liber de ejusdem Vultus miraculis. Hæc ipſa qvoqve ſcripta ſunt in charta ſimili circa an.* 1344.

Delineationem hanc ab ipſo *Wagenſeilio*, venum ea omnia tunc exponente, profectam eſſe, patet ex calce hujus indicis, atqve his potiſſimum verbis: *Offero qvoqve emtioni veterem exſeqvialem Proceſſionem Electoris alicujus Saxoniæ* &c. *Item Chriſti cum duobus*

bus discipulis, in Emauntico vico coenationem, à Bassano, excellentissimo pictore Italo, politissima arte adornatam &c. Iactavi possessionem hujus cimelii ejusque repræsentationem verbis feci in libro de Phonascis.

Athanasii ille in Psalmos commentarius, cujus primo loco facta est mentio, exstat nunc in Bibliotheca Senatoria Lipsiensi, una cum *Ehingeri* versione Latina, qvam ab *Ehingeri* filio an. 1661. donatam servat qvoqve Bibliotheca nostra Hamburgensis. Constat præterea, præstantissimum *Bernh. Montefalconium* expositiones Athanasii in Psalmos ex variis Catenarum codicibus in luculenta sua editione pleniores repræsentasse.

Vol. LXVI.

sistit epistolas CLXXXVI. maximam partem apographas, a viris eruditis superioris & nostræ memoriæ ad diversos scriptas. Horum præcipui sunt: *Iac. Andreæ, Io. Brentius, Mart. Bucerus, Phil. Camerarius, Claud. Cantiuncula, Io. Caselius, Nath. Chytræus, Christ. Daumius* ad *Pet. Axenium* & *Ioach. Fellerum* (epp. 59-120.) *Io. Georg. Eccardus* ad *Schannatum*, *Erasmus Roterodamus* ad *Carinum* ep. 20. ad *Reuchlinum* 121-126. ad *Schwebelium* 127. *ad Melanchthonem* 128. 129. *Matthias Flacius*, junior, *Paul. de Fuchs* ad *I. G. Grævium* 169-171. *Pius Nicol. Garellus* ad *Bernh. Pez* ep. notabilis

lis & bene longa (conf. Sammlung von alten und neuen Theolog. Sachen 1732. p. 292.) *Mart. Geier*, *Obert. Giphanius*, *I. G. Grævius*, *Hugo Grotius* ep. 167. 168. *Er. Gruberus*, *C. A. Heumannus* ad *Z. C. ab Uffenbach* 179-181. *Io. Hulſemannus* ad *Io. Matthiæ*, Epiſcopum Stregnenſem de Confeſſione fidei ab ipſo in lucem edita, 63. *Ulric. de Hutten* ad Arnold. Glauberger. 11. 12. *Iuſtus Ionas*, *Frider. Lindenbrogius* ep. ad Puteanum de Jo. Wowerio admodum ſiniſtra 74. *Val. Ern. Læſcherus* ad *Io. Phil. Treuerum*, 165. *Mart. Lutherus* ad *Nic. Hausman.* 150-152. qvæ editæ ſunt in Supplemento epiſtolarum Lutheri Buddeano; *Georg. Major* ad Lutherum &c. de Conventu Ratisbonenſi 138. ad *Io. Ionam* 139 & 143. *Marc. de Mantua Benevidius*, Pet. Longo 31. 32. & *Io. Fichardo*, 51. 52. *Io. Matthiæ*, Epiſc. Stregnenſ. ad *Io. Hulſemannum*, 62. *Philip. Melanchthon* ad *Goblerum* 18. 19. *Sabinum* 57. 58. 147. 148. *Eoban. Heſſum.* 59, 149. *Henr. Moellerum*, Hamburg. 65. *Iuſtum Ionam* 134 & 136. (qvæ poſterior de Conventu Ratisbonenſi exponit) 141. 144. 145. 146. *Lutherum* 135. de Conventu Ratisbon. *Philippum Gluenſpies* 153. *Georg. Majorem* nomine Theologorum Wittebergenſ. de nota ejus controverſia 154. *Gvilelmo Rinck* 155. *Spalatinum* 156. qvarum pleræqve ſunt *ἀνέκδοτοι*. *Bernh. Pez* ad Garellum. 158. *Jo. G. Schmincke* 186. *Schannatus* ad *Eccardum*, 4.

Jo.

Jo. Gvil. Steinhel 8. 163. 164. *Jac. Tollius* ad F. B. Carpzovium, 66. *Jo. Phil. Treuner* ad Gottl. Wernsdorfium, 166.

Ex reliqvis dabo heic duas *Ulrici Hutteni*, fervidi doctrinæ Evangelicæ ſua ætate propugnatoris, *ἀνεκδότους*, *Arnoldo Glaubergero*, JCto Francofurtano, inſcriptas, qvæ hodienum apud Generoſisſimam gentem Glauburgicam *αὐτόγραφοι* exſtant.

E Saxonibus ſcripſit ad me Stromer, *res meas, libros & veſtes ad proximas nundinas Francofordium venturas: hoc te curare jubeo apud portitores cottidie inqvirentem, num venerint. Eſt autem librorum ſarcina, Italico more colligata, atqve iterum qvoddam vaſculum, qvod & ipſum libros continet & veſtes; ſi compereris perlata hæc iſtuc, ociſſime mitte, qvi nunciet, aliqvem.* Mitto *tibi* Phalarismum, *dialogum. Premitur nunc* Gvajacum, *qvod & ipſum, ubi fuerit perfectum, habebis.* Febris *dialogus tranſlatus eſt in Germanicum; mittam impreſſum tuis, fratri, Socero, & aliis cognatis munus. Tantum abeſt, ut metuam accedentem huc illum à latere. Mira mihi circa emendos eqvos incumbit neceſſitas. Jube tuum Socerum, iſtic inqvirat, num qvi ſint vendibiles, atqve illud proxime ſcribe. Neqve enim mora eſt; ita celeriter paratur hæc nobis expeditio, cui, ſi neſcis, ipſe interero. Optime vale cum Socero, Conjuge, fratre & liberis. Moguntiæ raptim.*

En alteram ejusdem de eodem argumento, & aliis aliqvot, paulo post scriptam:

Qvia militiæ versor, & qvædam debet inesse ordini militari brevitas, accipe de bello hoc breviter. Adhuc hostem non vidi, at urbes se dederunt & pagi plurimi; putaturqve sola restare Tubinga, in qvam se Nobilitas contulit. Nam de arce Asperga perinde non cura est militibus nostris. Abstinetur à populationibus, nisi advictum qvod attinet. - - - Tyrannus, qvi peracerba non tantum pugna excepturus nos, sed profligaturus etiam videbatur, paucis cum eqvitibus aufugit in Galliam, ut plures, ut qvidam - - - - - ad Helvetios, qvi mirabiliter deceperunt illum, ablata pecunia, & fraudata fide: summa rei est, ejectus omnia perdidit. Nam - - - - - etiamsi pertinacissime obsidionem ferre decernant, tanto - - - - restare non poterunt. Copiarum apud nos mira est fortitudo. Eqvitum census est ad IIII millia, aut infra eum numerum, peditum XXX millia. Machinarum species longe pulcherrima amicis est, terrori inimicis summo. Dixi tibi, non esse metum ab Helvetiis, qvod etiam mentitus non sum, ut etiam in votis sit militibus nostris pugnare adversus infidissimam gentem. Dicuntqve omnes omnium ordinum passim, utinam - - - - - De Gallo nescitur, qvid ille sibi promittat; nos eum neqve metuimus, & valde speramus. Nam copiis cum abundamus, hostem desideramus potentem, spe præda ac gloriæ simul. De

præda

præda nihil dum accepi, ut primum accepero, mittam aliqvid uxori tuæ, tibi, Soceroqve ſeni. De rebus meis non poſſum certi aliqvid mandare nunc. Exſpecta ulteriorem aliquam meam epiſtolam. Interim cura, ut orationes in Tyrannum deſcribantur. Qvod pene excidit, paucis ante fugam diebus, cum Tubingæ ageret tyrannus, fuit ibi cum illo ſimul uxor gentilis mei interemti. Qvod idcirco non patior ignorare te, qvo ne cuiqvam dubiam eſſe ſinas interemptionis cauſam; ſpurciſſimam mulierem, fœdiſſimum ſcortum, noſtrum exitium, & hujus belli Helenam, qvam oportuit, ſi Dii voluiſſent, in manus venire noſtras, ut pœnas daret. Hæc breviter, ut in tanta copia. Vale cum uxore tua, & Socero: iterumqve vale. XVIII. Kal. Maji, Stutgard. apud Capnionem.

PS. Hodie in manus noſtras venit oppidum Reutlingen cum arce.

Utraqve hæc epiſtola an. 1519. exarata eſt. Illo enim anno Svevici Fœderis Socii contra *Ulricum*, *Ducem Wurtenbergenſium*, qvem *tyrannum* hic appellat *Huttenus*, cuiqve idem ob trucidatum *Jo. Huttenum* infenſiſſimus erat, gerebant. De tota hac cauſa lege diſſerentem V. C. *Jac. Burckhardum* in Vita *Ulrici de Hutten* Parte I. p. 218. ſqq.

Tribus verbis mentionem faciam epiſtolæ, qvæ hanc proxime ſeqvitur, vernaculæ ad *Jo. Glaubergerum*, J. V. Doctorem,

ctorem, Neoſtadio an. 1582. 3. April. ab *Hieronymo Schlick*, Seniore, Comite Paſaunenſe & Domino Weiſenkirchenſe, ſcriptæ, qva cum voluptate illi nunciat, ſe à *Caſimiro*, Duce & Principe, verbi Divini miniſtrum eſſe conſtitutum.

Vol. LXVII.

liberalitati Venerabilis D. *Jo. Gottlob Carpzovii*, Antiſtitis hodie Lubecenſis meritiſſimi, & Theologorum noſtratum ocelli, debeo. Conſtat illud epiſtolis circiter CCLX. qvas præſtantiſſimi Theologi, aliiqve viri eruditi Seculi XVII. usqve ad an. 1640. ad D. *Henricum Hœpfnerum*, Profeſſorum Theologum Lipſienſem, non doctrina minus, qvam candore celebratiſſimum, & *B. Jo. Bened. Carpzovium* exararunt. Leguntur ibi epiſtolæ *Chriſt. Aviani*, *Barthol. Beckii*, *Jo. Botſacci*, *Godofr. Cundiſii*, *G. Dedekenni*, *J. M. Dilherri*, *Juſti Feurbornii*, octo, *Jo. Gerhardi* qvinqve, *Sal. Glaſii*, una, *Valerii* & *Zachar. Herbergerorum*, ſeptem, *Matthiæ Hoe* novem & qvadraginta, qvarum qvatuor inſcriptæ ſunt B. *Jo. Bened. Carpzovio*, *Gregor. Horſtii*, qvinqve, *Jo. Hulſemanni*, qvinqve & viginti, *Nic. Hummii* una *Pet. Kirchbachii*, qvatuor, *Andr. Kunadi*, tres, *Jo. Majoris* ad I. B. *Carpzovium*, una, *Jac. Martini* duæ, *Balthaſ. Meisneri* qvinqve & triginta, *Arnoldi Mengeringii*, qvinqve, *Cœleſt. Mislentæ* novem,

Jo.

Jo. Mulleri, qvatuor, *Mich. Piccarti* qvinqve & viginti, *Pauli Rœberi* tres, *Jo. Schrœderi*, *Nic. Schneccceri*, *Abrah. Telleri*, *Jo. Weberi*, &c. Egregia heic leguntur, qvæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Theologicam illius ætatis ſpectant. Adjectæ ſunt huic volumini ſeorſim epiſtolæ qvædam *Eraſmi Schmidii* & *Jo. Henrici Oſtermanni*, diſcipuli ejus, poſtea vero in munere profeſſorio Gr. L. ſucceſſoris, Græce ſcriptæ.

Inter ceteras invenio literas *Philippi* II. Ducis Stettini Pomeraniæ, &c. ipſius manu ad M. *Philip. Horſtium*, *filiorum Otthonis Raminii educatorem* 29. April. 1614. datas, in hanc ſententiam:

Docte vir, ſynœce nobis dilecte. Qvid Wolffgangus Ratichius, *auctor novæ Didactices*, *internuncio* Bartholomæo Schubbio, *nobis ſubmiſſe ſignificaverit*, *ex copia literarum* Schubbii *perviderit. Cum vero ſtudium illius non improbemus, & Juventuti Pomeranicæ inprimis conſultum cupiamus; mandamus tibi, clienti noſtro, ut pro ingenio tuo, ad variarum linguarum peritiam proclivi, omnem rationem hujus Didacticæ novæ inqviras, inveſtiges, & perſcruteris, & accurate de omni re ad nos perſcribas. Habemus enim in animo, ſi ea res fidem habeat, agere cum Ratichio, ut, qvod promittit, omnia ejus artis ſecreta tibi manifeſtet, præmio à nobis accepto. Te enim deligimus, qvi in provinciis noſtris iſtam artem publico bono propaget. Diſces*

itaqve hæc noſtro ſumtu, & noſtrorum commodo eadem porro doceas. Nihil ergo prius, nihil antiqvius duces, qvam ut de omni negotio nos qvam primum facias certiores, & literas illas Lipſiam ad Lebzelterum per veredos cures. &c.

Harum literarum exemplum idem *Philip. Horſtius*, cui ſcriptæ erant, B. *Hæpfnero* eodem anno menſe Sept. miſit una cum epiſtola, in qva inter cetera nunciat, Ducis *ſe cunctationem haud noxiam, forte Fabianam, ſvaſiſſe, rogaſſe, impetraſſe, imo rem totam à ſe remotam ad Auguſtanos devolviſſe, a qvibus cum veredo Celſit. ipſius Clementiſſ. de eventu edoceri recte poſſit. Interea*, ita pergit, *toto illo negotio Ratichiano ſenſim qvaſi liqveſcente, ardor etiam iſte Illuſtriſſ. Ducis exſtinguitur. Metuo ſane auctoritati R. & Cl. Dn. D. Helvici, qvæ jacturam nimiam facere videtur. Nam de ſucceſſu proſpero nemo eſt, qvin deſperare videatur.*

Prodierat eo tempore Gieſſæ 1614. 4. kurtzer Bericht von der Didactica oder Lehr-Kunſt *Wolffgangi Ratichii* durch Chriſtoph. Helvicum und Joach. Jungium; cujus libri rationes & hiſtoriam ediſſeruit *Mart. Fogelius* in Vita *Joach. Jungii* apud Wittenium in Memoriis Philoſophorum Dec. VI. p. 262. Qvæ vero *Horſtio* de omni illo inſtituto Ratichiano, ad linguas inprimis facilius docendas & diſcendas pertinenti, viſa ſunt, illa aliis etiam, nonnullis præclarius ſentientibus, placuerunt. Vide *Struvii* præfationem

tionem ad *Gvarini* libellum de ordine docendi & discendi p 43. sqq. & *Martini Ruari* epistolas p. 402. edit. Zeltnerianæ.

Vol. LXVIII.

epistolas exhibet apographas CII. a Theologis & aliis viris eruditis ad *Jo. Brunsmannum*, nonnullas etiam, ab hoc ad illos datas. Tales sunt D. *Christiani Kortholti*, Theologi Kilonienſis octo, *Sam. Pufendorfii* de Jo. Lysero, infausto polygamias defensore, *J. C. Wagenseilii* de loco Prov. XXX. 6. *J. G. Bayeri* ad Brunsmanni epistolam qvandam, qvæ addita est; *Brunsmanni* ad *Stenonium* epistola, cum responsoria *Stenonii*, & altera ad ipsum *Brunsmanni* responsoria, *Jo. Feckii* novem, cum responsoriis aliqvot *Brunsmanni*, *Dan. Severini Sculteti* tres, *Jo. Winckleri*, *J. H. Maji* aliqvot cum responsoriis, *Jo. Molleri* Rectoris Flensburgensis, *Hectoris Gothofredis Masii*, Theologi Hafnienſis, aliqvot, una cum Brunsmannianis, tum *Adami Rechenbergii*, *A. H. Franckii* &c.

Accedunt in calce autographæ qvædam, qvarum tamen pleræqve inter antecedentes illas descriptæ exstant.

Brunsmannus ille vir doctus erat, & Eccleſiastes Gerontocomii Hafnienſis, Nidrosii in Norvagia 1637 natus & an. 1707. Hafniæ defunctus. Scripta ejus tum edita, tum manu exarata enarrantur in ejus-

dem *Vita*, qvæ præmissa est Dissertationi ejus posthumæ de Accentuationis Hebraicæ distinctivæ novella arte, Hafn. 1708. editæ. Confer Rev. *Bernh. Raupachii*, Collegæ mihi amicissimi, Orat. de Statu ecclesiast. & literario in Dania p. 54.

Digna inprimis lectu est *Sam. Pufendorfii* longior & erudita Holmiæ an. 1682. d. 20. Augusti de *Jo. Lyseri*, Polygamiæ patroni, (contra qvem *Brunsmannus* singulari libro pugnavit) epistola. In hac inter cetera hæc legis: *Unde Lyserus improbe pro sua sententia allegat illos, qvi mero jure naturali Polygamiam inter vetita haud referunt, cum eadem alio ex capite Christianis illicita esse possit. Præsertim, si eo usqve vesaniæ, qvod videtur, progrediatur, ut, si Diis placet, eandem velut necessariam Christianis obtrudere instituat. Porro, qvando è principiis, qvæ mihi pro meo captu constitui, Polygamiam examinare coepi, an illa repugnet legi naturali, nec ne, eo nimirum modo, qvo homicidium, adulterium, furtum, calumnia, perfidia & similia, repugnant, & qvæ in ipsa sui definitione repugnantiam cum rationali & sociali hominis natura, & contradictionem qvandam moralem involvunt, hinc per ea, qvæ traduntur lib. VI. c. 1. n. 16. 17. 18. non obscure innuo, qvæstionem a me adhuc in dubio relinqvi, propter rationum, in utramqve partem trahentium, momenta, per qvas difficile est immotam aliqvam demonstrationem in alterutram partem formare,*

mare. Ut tamen etiam ex meis principiis pro monogamia contra polygamiam pronunciandum judicem n. 19. *si non ejusmodi demonstrationibus, ex qvibus modo adducta crimina damnantur, saltem talibus, qvæ non parum in monogamiam inclinent.* Omitto cetera. De *Lysero* hoc ejusqve adversariis leges *Petrum Bælium* Tom. II. Dictionarii suo loco, qvi & D. *Masii* ad *Pet. Allixium* de misera ejusdem morte epistolam Novis suis Reipublic. literariæ an. 1685. inseruit. Adde ibidem p. 1350. sqq.

Vol. LXIX.

maximam sui partem convenit cum illo, qvod supra num. XLII. enarravi. Qvæ enim illo continentur *Grotii* ad *Axel. Oxenstiernam* epistolæ, eæ omnes, & eodem ordine, in hoc qvoqve leguntur. Illas vero antecedunt ad eundem *Dan.* & *Nic. Heinsii*, nec non *Jani Rutgersii* plures, qvam qvæ n. XLII. exstant. Sub initium qvoqve post duas *Nic. Heinsii* leguntur octo *Io. Cabeljavii* ad Regem Sveciæ & *Axel. Oxenstiernam*; hinc ad eundem *Mart. Chemnitii*, ICti, & *Ludov. Camerarii* qvædam. *Grotii* eam, qvæ in Volumine dicto XLII. ultima est, excipiunt heic nonnullæ *Archibaldi Hamiltonii*, Archiepisc. in Hibernia, & una *Christiani Rumpfii* usqve ad calcem voluminis, qvod mancum est, sed luculente scriptum.

Vol. LXX. & LXXI.

conſtituunt indices copioſos in Apparatum hunc epiſtolicum omnium voluminum maximi & qvarti ordinis. Alter illorum nomina, ſecundum literarum ſeriem diſpoſita, eorum exhibet, qvi epiſtolas ſcripſerunt, indicatis ſimul voluminibus, in qvibus ſingulæ legantur. Alter vero eorum nomina ſimili ratione deſignat, ad qvos epiſtolæ eædem ſcriptæ ſunt. Uterqve ab ipſo illuſtri *Uffenbachio* magno labore eſt confectus.

Seqvuntur nunc

VOLUMINA FORMAE QUARTI ORDINIS.

Vol. I.

eſt epiſtolarum autographarum CXIII. qvas viri doctiſſimi ad *Jo. Henr. Bæclerum* dederunt. Habentur ibi *Jo. Alberti Portneri* 32. *Jo. Ludov. Praſchii*, Profeſſoris Gieſſenſis 55. *Ismaëlis Bullialdi* duæ, *Emerici Bigotii* una, *Perralti* una, *Scipionis Scaligeri* una, *J. G. Lenzii* novem, *Beqvillardi* novem Gallicæ, *Jo. Wallermanni* una Pariſiis ſcripta, & pererudita, & *Th. Stegeri* una.

Decerpam hinc qvædam ex epiſtola *Iſmaëlis Bullialdi*, Pariſiis d. 19. Mart. 1658. ſcripta.

Unam

Vnam ex his epistolis mecum communicavit Samuel *ille* Vossius, *in qva ipsum hortaris, ut, qvæ in Illustriss.* Thuani *Historia omissa sunt, ab aliqvo accepta describat, Apologiam præterea, ab Illustriss. Pet. Puteano pro illa conscriptam. Hanc publici juris fieri nec ei μαναρίται* Puteani, *dum vixerunt, voluere, deqve edenda Illustr. Thuanus, qvi legatus apud Fœderati Belgii Ordines agit, hactenus nihil constituit: qva de causa nec describendam, nec edendam cum aliqvo communicare ipsi propositum est.* Ανέκδοτα *illa qvibusdam amicis permissa sunt, ea tamen lege, ut non vulgentur, qvod ad Principum, Procerum Optimatumqve familias spectent, qvæ qvidem omissa historiæ fidem ac gratiam non minuunt, editæ vero eorum offensam mererentur. Exemplar impressum, in qvo illa adscripta sunt, Illustriss. Legatus secum obstulit. Exqvisitioris literaturæ nihil fere apud nos editur.* Henr. Valesius, *vir eruditissimus, Eusebii Historiam Ecclesiast. ad finem sensim perducit; sub ingenti etiam opere, qvod voluminibus in folio qvindecim in magnam molem adsurgit, prela sudant, ac operæ typographicæ anhelant; Rev. scilicet Patris* de la Haye, *ex familia Divi Francisci, in Scripturam Sacram, ex Rabinis, Ecclesiæ Patribus, commentatoribusqve omnibus collecti ac congesti commentarii, qvorum volumina qvatuor excudenda solummodo restant. De Electoribus Imperii Dn.* Wiqvefortius *libellum Gallice edidit, rationesqve singulorum Principum tam publicas, qvam privatas, in*

eo explicat. Eroticæ historiæ seu fabulæ frequentissimæ hic in lucem prodeunt, caro prostant, citoque distrahuntur: omnium quippe hominum libri sunt, quos cujuscunque gradus (à Regibus ad mendicos) ingenia capere possunt. Amstelodami Hugonis Grotii, *viri summi, Historia Belgica per Gvillet Blaëu edita est. Stylum Taciti imitatur quam proxime auctor, mallem liberiorem laxioremque &c.*

Vol. II.

suppeditat epistolas autographas CXXVII. ad eundem *Bæclerum* scriptas, v.c. *Herm. Conringii* 19. *Jo. Andreæ Bosii* septem, *Th Reinesii* unam, *Sam. Rachelii* qvatuor, *G. G. Leibnitii* unam, *C. S. Schurtzfleischii* unam, qva liberius suum de Bœclero judicium excusat, & culpam deprecatur, *Anton. Magliabechii*, *Jahn Paulini Olivekranzii* duodecim, *Seb. Ramspeck* septem. *I. O. Taboris, Iac. Schalleri, Andr. Julini*, &c. &c.

En tibi *Schurtzfleischii*, qvam dixi, epistolam an. 1669. 29. Aug sine loci indicio datam.

Iam demum audeo, qvod hactenus nunqvam. Partim obstabat verecundia, partim metus. Sed ultima tandem necessitas hæc ad te scribere coëgit. Mallem vero in meliore causa. Sed peccavi, dum nullum esset propositum peccandi. Tu veniam, qvæso, facias juventuti. Satis enim lui, qvod luendum fuit. Excusationem publicam velim

lim æqui consulas, nec magis ponderes verba, quam affectum. Si ignoveris, literato orbi manſvetudinem, mihi benignitatem, probabis. Id, ut te dignum eſt, vel ultro facies. Interim Deo ſupplicabo, ut rei publicæ literariæ, in cujus gloriam natus es, diu ſuperſis. Conabor etiam, ut poſterum vel umbram tuam venerer, & colam.

Hanc epiſtolam a *Schurtzfleiſchio* ad *Bæclerum* miſſam eſſe ſuſpicor, una cum altera epiſtola, qvam Coloniæ Brandenburg. an. 1669. ad excuſandum ſe illi edidit, qvæqve in *Actis Sarcmaſianis*, à *Theodoro Cruſio* Wittebergæ 1711. editis inſerta eſt p. 272. Hanc enim vult, qvando *Excuſationem publicam* commemorat.

Digna præterea eſt *Th. Reineſii* epiſtola, Lipſ. 1662. data, qvæ heic legatur, ad illuſtrandum ſcilicet *Dionis* locum pertinens, qvem, neſcio qvis, prave erat interpretatus.

Deprehenſus enim, inqvit, *eſt in flagranti ſive ignorantiæ & ſtuporis, ſive pudendæ impoſturæ, crimine, cum nunc liqvidiſſime clareat è ῥήσει Dionis, re vera translatum fuiſſe a SPQR omnem in Auguſtum poteſtatem, qvod ille negandum ſibi adeo confidenter ſumſerat. Qvorſum autem, qvæſo, niſi huc, trahi poſſunt debentqve iſta? Lib. 53. edit. Gr. H. Stephani f. 340. Lat. Xylandri f. 308. cum peroraſſet Auguſtus, ſe abiturum imperio, ſive vera ſententia ejus fuit hæc, ſive πλάσις. ηχθο-μαι, inqvit, Dio: δημοκρατικὸν γὰρ ἤδη τινὲς ὡς*

καὶ σατιῶδες ἐμίσησν, καὶ μεταστάσει τῆς πόλεως ἠρέσκοντο, *in mutatione ſtatus jam volentibus omnibus facta adqviescebant*, & *mox poſt multos clamores & obteſtationes* ἠνάγκασαν αὐταρχῆσαι. *Qvam vero mutationem Reipubl. aliam dicet Ille, qvam Democratiæ in Monarchiam, & unius abſolutam dominationem, qvam poſt appellat* αὐτοτελῆ ἐξουσίαν, *non tantum plenam perfectamqve, ut Interpres, ſed per ſe ſufficientem & à nullo impedibilem poteſtatem? Et qvid clarius hiſce?* ὅλως μὲν δὴ ποτε τὸ δῆμος καὶ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν εἰς τὸν Αυγουστον μετέστη, *qvæ ſic circumloqvitur* Zonaras: πᾶσα δὲ ἐξουσία ἥτε τοῖς ὑπάτοις τὸ παλαιὸν δεδομένη, καὶ ἡ τοῖς Δημάρχοις, καὶ ἡ τοῖς Τιμηταῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῖς Αυτοκράτορσι δίδοται. *Et cum Brutus, pulſis Tarqviniis,* τὸ κράτος εἰς τὸ κοινὸν περισῴσας ἐκ μοναρχίας *populo imperium adſeruerit, populus vero id in Auguſtum transtulerit, per ea, qvæ ſcripſit Dio, qvid reſtat, niſi dicere, illum* τὰ ἐν κείμενα κινεῖν, & *veritati, tanto conſenſu traditæ, oblatrare? Si qvis Populi Romani indolem, & qvam in Syllam, qvamvis carnificem ſuum, cui ἄδειαν πάντων τῶν γεγονότων, πρὸς δὲ τὸ μέλλον ἐξουσίαν θανάτου δημεύσεως, & ἀφελέσθαι τὴν βασιλείαν, ᾧ βούλοιτο χαρίσασθαι &c. lege Valeria decrevit, teſte Plutarcho, liberalis fuiſſet, conſideraverit, & tempora ſub triumviris, & per bella civilia, qvando omnem poteſtatem in unum conferri pacis intercrat, inſpexerit, ei facillimum eſt credere, rem ſic, uti narratam a Dione legimus,*

leginus, *geſtam fuiſſe*, *nec opus habuiſſe Impp. mentiri leges & Scta*, *vel etiam invitis extorqvere*, *qvod putabat* Clapmarius. *Et valere igitur merito jubemus iſtum cum ſuis ſtrophis & ſtreblis*, *qvarum futilitas vel modice perito antiqvitatis ſubolet. Senatus ſe potuit in ſinum Auguſti conjicere*, *& tamen hic Senatui ſubeſſe*, *inqvit p.* 122. *Hoccine eſt* ἀσύγκλωστα συγκλώθειν, *& cum ratione inſanire? Suis viribus diffidens Senatus conjecit ſe in ſinum Auguſti*, *conferendo in eum poteſtatem ſuam omnem. Agnovit ergo & proclamavit ſuperiorem. Si Auguſtus*, *vel & reliqui*, *ſe geſſere aliqvando ut inferiores Senatu*, *inter* πρόχειρα *id referendum eſt*, *& ludibria iis temporibus frequentia*, *& inter arcana dominationis haberi ſolita.* βληθεὶς δὲ δὴ καὶ ὡς δημοτικός τις εἶναι δόξαι, *inqvit Dio de Auguſto. Romæ Senatus cuncta principibus ſolita Veſpaſiano decernit*, *inqvit Tacitus. Gloſſator noſter*, non niſi ſolita; *violenter & inepte. In ſolitis fuere omnia ea*, *qvæ Auguſto data fuerant*, *ſecundum Dionem*, *qvamvis* ὑπερεξέχουσα *& inſolentia reſpectu liberæ Reipubl. i. e. uno verbo* αὐταρχία *& ſupremum in omnibus arbitrium. Et nihil igitur operatur illa reſtrictiva*, non niſi.

Omitto cetera, qvæ erudite qvidem, ſed longiuscule in eandem cauſſam adferuntur.

Vol. III.

Epp. xcv. autographæ ad Bœclerum, nominatim

natim *Nic. Heinſii* duæ, *I. C. Wagenſeilii* ſeptem & viginti, *Io. Frider. Gronovii* una, *Iſaaci Gruteri* una, *Th. Reineſii* una, cui adjectum eſt ἀπόγραφον illius, cujus partem modo exhibui, *Io. Schefferi* tres, *Chriſtoph. Arnoldi* tres, *Mart. Brunneri* ſex, *Capellani* undecim, *Io. Philip. Mulleri*, qvinqve, *Iuſti Docemii* aliqvot, *Olai Agræi* qvatuor, &c.

Habe hic partem epiſtolæ *Nic. Heinſii* Francofurto ad Mœn. an. 1670. ad Bœclerum ſcriptæ, qvæ non exſtat in egregia illa epiſtolarum Sylloge, qvam *Petro Burmanno*, Viro inſigni, debemus.

De ſtudiis communibus ut ſubtexam pauca: ex qvo in patriam, anno proxime decurſo, è Svecica Ruthenicaqve ablegatione ſum reverſus, etſi proſtrata valetudine, tamen & Maroni & Flacco Valerio edendis manum admovere coepi, typis deſcripto jam poëtæ utriusqve contextu, cum bellum repentinum oppreſſit, alioqve iſtas cogitationes convertit. Sed & Maroni mora eſt injecta, fateor, dum Catalectis ejus ex fide membranarum veterum caſtigandis opportunitatem circumſpicio. Sunt enim longe depravatiſſima etiamnum, nec qvisqvam præter unum Scaligerum *curatam iis manum adhibuit tempeſtate noſtra. Qvid qvod poëmatiorum antiqvi horum codices in Bibliothecis priſcis minime ſunt obvii, &, ſi qvi occurrunt, in iis Ciris, poematium venuſtiſſimum, deſideratur: deſiderantur & illa, qvæ ſub Catalecton nomine, tanqvam genuina Virgilii à Qvinctiliano, Auſonio, aliis-*

aliisqve laudantur. Recordor autem inſpectum à me in publica Baſileenſium Bibliotheca codicem Maronis jam olim, etſi nec vetuſtum, & in charta exaratum, qvi tamen & Cirin & Catalecta cetera cum Priapejis exhiberet. Ut incuſem nunc ſupinitatem meam, qvi excutiendi ipſius libri occaſionem tam opportunam elabi mihi ſim paſſus &c.

Addam nonnulla ex *Jo. Frider. Gronovii* epiſtola Daventria XVI. Kal. Mart. 1654. data :

Nunc qvidem nil niſi computo, æs, argentum, aurum tracto merum, qvam vis nihilo decoloratioribus manibus, nec penſiore crumena. Fuit enim illud una cum veteri Roma; cujus tamen qvod ſupereſt in ſacratis chartis, id mirifice hac procuratione noſtra adjutum videbis. Jam olim magna mihi erat in conditis acceſſio ad illa, qvæ edidi; ſed continui me, dum ſupererat, qvicum compoſita eſt Batava Pallas, & gloriam illam literarum, à Douſa inſitam, & tot per annos ad invidiam usqve propagatam, radicitus perdidit, eo miſerior, qvod ipſa, qvid perdiderit, ignorat. Ille, ut ſcis, toties promiſerat omne id argumentum ſe exſecuturum, &, ut accepi (qvamvis apud me nullam ejus rei ſignificationem daret, ſed erat μεμψίμοιρος, & minimis rebus offendebatur) apud alios conqveſtus erat ſuæ ſegetis partem incidi. Itaqve, ut dixi, reverentia amicitiæ noſtræ, continui me, dum ille ſuperfuit, præſertim, cum pergere non poſſem, qvia de qvibusdam ſecus, atqve illi viſum erat, ſentirem : poſtqvam ille in

beatis

beatis eſt, & tanta ſpes decolavit, non poſſum diutius debere publico illa parva, qvæ noſtra opera, hac duntaxat in re, habere poteſt tantæ jacturæ ſolatia.

Agitur heic de egregio & incomparabili commentario, qvem *de Seſtertiis* inſcriptum primum Daventriæ 1643. hinc locupletiorem 1656. edidit *Gronovius*, deniqve *Jacobi*, filii, opera Lugduni Batav. 1691. 4. cum accesſionibus variis recuſum. *Salmaſius* vero is eſt, qvo ſuperſtite ſibi ab argumento hoc copioſius illuſtrando temperaſſe ſcribit. Is enim, libro illo vix edito, in epiſtola, ad *Claud. Sarravium* data, indignationem qvandam ſuam his verbis profeſſus eſt: *Feciſſet tamen modeſtius* (Gronovius) *ſi me epiſtolio monuiſſet, ut amicum decuit, de ea re ſe velle ſcribere, &, an, me volente, id eſſet facturus, præcipue cum ſciret, ante tot annos grandem ſuper ea materia tractatum à me eſſe promiſſum, & ab omnibus avide exſpectari.* Lege cetera, qvibus in nonnulla animadvertit, tanqvam minus recte & contra ſuam ſententiam, alibi propoſitam, diſputata. Habes epiſtolam illam recuſam in noviſſima illa commentarii Gronoviani editione Leidenſi p. 672. ſqq. una cum epiſtola à Gronovio ad Anton. Clementium Hamburgo 1656, de eadem cauſa ſcripta, p. 679. ſqq.

Vol.

Vol. IV.

Epiſtolæ autographæ CXXVIII. ad eundem *Bæclerum*. *Eliæ Veielii* qvindecim, *Jo. Henr. Hottingeri* duæ, *Jo. Caſp. Sviceri* una, *Jo. Schmidii*, Theologi Argentorat. tres, *Jo. Frider. Heilbrunneri* una, *Balthaſ. Bebelii* una, *J. M. Dilherri* tres, *Jo. Ulrici Pregizeri* ſex, *Jo. Henr. Horbii* qvatuor, Pariſiis & aliunde datæ, *Jo. Jac. Moeſchelii* decem, *G. E. Stoffelii* duodecim, *Jo. Jac. Kerſcheri*, qvatuor & viginti, *Jac. Brandmylleri* duæ, *Jo. Rodolfi Wetſtenii* tres, *Jo. Theodor Schmalkalderi* ſeptem, *Magni Heſenthaleri* qvatuor &c. &c.

Deſcribam nonnulla ex *Io. Henr. Horbii*, Paſtoris qvondam ad D. Nicol. Hamburgenſis, epiſtola Pariſis 1670. menſe Jul. ſcripta.

Launoji nunc mitto catalogum, ut hinc eligas, qvod tuo uſui inſerviet. Mandabis libere, qvæ me voles: faxo, intelligas, nunqvam me deſideriis tuis defuturum. Summus hic Polyhiſtor Sorbona excluſus eſt ob Ianſeniſmum, cui favere dicebatur. Verum parum iſta luget, cui mundus exoſus eſt, & mundana omnia. Liberrime philoſophatur, & judicia fert de ſingulis, qvi Pariſiis degunt, tam profunde docta, tam ſincera, ut Virum optimum nunquam ſatis mirari poſſim. Valde mihi gratulor, innotuiſſe huic viro, à qvo magna mihi promitto hiſtoriæ hæreſeon adminicula. Poſt Valeſium *certe neminem novi, qvi eruditione vera hunc ſuperet: alii ad pompam docti ſunt, cujus-*

cujusmodi plures offendi in iis, qvot peragravi, Europæ partibus. Sozomenum nuperrime nobis dedit & Socratem; ſub manibus adhuc habet Theodoretum, atqve alios Hiſtoriæ Tripartitæ Scriptores. Perpetuæ fere ei lites intercedunt cum Menagio, *ob notas in Laertium, & alia argumenta critica, in qvibus ſæpiſſime Valeſii conjecturas, in ſocietatibus privatis allatas, publice reprehendit. Illuſtriſſ.* Capellanus *neqve multum ei favet, forte, qvia nobile opus,* la Pucelle d'Orleans, *ſua laude non mactarit.* Juſtellus Claudio *tela ſubminiſtrat, impugnandi* Arnaldum, *Virum erudite doctum. Vidiſti ſine dubio, qvæ circa præſentiam Euchariſtiæ diſputantur, nec deciſa adhuc lis eſt. Exſpectamus reſponſum* Olearii, *qvem* Arnoldus (*Arnaud*) *cap. ultimo ad partes vocavit pro probando conſenſu univerſali, per inductionem Eccleſiæ Moſcoviticæ. Mirum, Calvinianos tam ſtupidos fuiſſe, ut admiſerint principium Pontificium, conſenſum omnium Eccleſiarum h. t. Chriſtianarum. Si his armis pugnandum, vae Eccleſiæ, γνησίως orthodoxæ! Ea magis æſtimo, qvæ* Larroqvanus *edidit, ubi plurima exſtant* Aubertini *meliora, præſertim qvod ad Hiſtoriam Sacramentariam a poſtremis octo ſeculis.* Morum *ſua fata jactant, nec ſeriis animum applicare permittunt. Dedit tamen aliqvas ad N. T. notas, qvas Angli X. Bibliorum Criticorum Tomo inſeruerunt.* Dallæum *diem obiiſſe, &* Drelincurtium, *diu noſti. Vidiſti item linguæ Gallicæ & Italicæ origines* (Menagii) *qvarum hac tam*

rara

rarè ſunt, ut vix exemplar mihi reperire queam. Mentelius *Bibliothecam Regi vendidit, nec ſtudiis operam magis navat.* Hugenius, *qui de quadratura circuli nuper ſcripſit, Pariſiis nunc degit, ſtipendio Sereniſſimi invitatus.* Petitum *tamen in Matheſi ei præferunt.* Gallois*ium ajunt Ephemerides* (Journaux des Scavans) *continuare poſſe permiſſione Regia; ego vix credo, quoniam ad inſtantiam Nuncii Romani haud ita pridem & iſtæ, & Eccleſiaſticum diarirum interdicta ſunt.* Sorberius *fatis conceſſit, ut &* Jac. à S. Carolo, *Carmelita, Bibliothecæ Univerſalis eruditus author.* Bigotius *vitam Chryſoſtomi ſub manibus habet, dabit eam, ubi è chirurgorum manibus evaſerit.* Colomeſius *Rochellam appulit, ubi opus meditatur de libris Apocryphis in quovis ſtudiorum genere. Opuſcula ipſius rara multa habent, ut & Gallia Orientalis, quæ non ſpernenda. Editio Conciliorum nova a* Coſſartio *perficitur, poſtquam* Labbeus *huic operi immortuus eſt. Doleo, hoc opus in Lojolitarum manus incidiſſe, qui pro more ſuo omnia mutare ſolent.* Steph. Baluzius *duos Tomos adjiciet, qui hactenus nondum editi ſunt. Bibliotheca PP. ſub prelo adhuc calet. De* Bocharti *Poſthumis audio, quamvis ſint, qui de Paradiſo tractatum brevi excuſum iri promittant.* Steph. Monachii *Ioſephus nondum è pluteis prodiit; pœnas luent, quotquot ei edendo operam navarunt, ni operas maturent. Anglicana editio ad dimidium iam abſoluta eſt.* Menagius *Origines Linguæ Græcæ,*

ad trecentas radices reductas, brevi prelo ſubjiciet. Oſtendit mihi & tractatum de Dialectis veterum, qvatuor libris abſolutum, qvi valde rarus. Hiſtoriam Medicam exoptamus, qvam diu jam ſub manibus habet.

Paucæ ſunt in qvatuor his voluminibus, hactenus enarratis, epiſtolæ, qvæ vel ob dictionis nitorem, vel ob argumentorum dignitatem in lucem vel integræ, vel maximam ſui partem, in lucem proferri non mereantur.

Vol. V.

conſtat variorum doctorum virorum ad varios epiſtolis autographis CLXVIII. ſi tres *Scaligeri* ad *Eliam Putſchium* excipias, qvarum apographa in limine leguntur. Seqvuntur *Andreæ Biveti*, *Bernh. à Mallincrot*, *Oligeri Pauli*, hominis fanatici, una ad *Frid. Brecklingium* belgica, *Marci Meibomii* duæ, *Nic. Severi*, *Jo. Vorſtii*, *Tobiæ Winckleri*, *Bartholdi Nihuſii*, omnes ad M. Meibomium, *Jo. Henr. Heideggeri* ad Huldricum Ammianum triginta, *Caſp.* & *Jo. Caſp. Kelleri* multæ, multæ item *J. R. Balberi*, ad eundem, ad qvem & maxima pars ſeqventium epp. ſpectat. In calce exſtant epiſtolæ variorum ad Arnold. Cholinum, Bibliopolam Colonienſem, v. c. *Philippi Kirchii*, *Brunonis Neuſſeri*, *Jac. Meurſii*, *Philip. Rottenbergeri*, &c.

Tres

Tres, qvas dixi, *Scaligeri* ad *Putſchium* epiſtolæ inter editas non exſtant. Deſcribam itaqve eam, qvæ Lugd. Batav. X. Id Februar. an. 1606. data eſt.

Jam dudum ad te ſcripſi, tibi gratias pro tua Grammaticorum editione egi, ut nunc ago. Adjunxeram præterea literas ad Sethum Calviſium, *Lipſienſem, qvas ut illi recte curares, unice a te contendebam. Literas eas te accepiſſe cur dubitem, cum recte datæ fuerint, cauſa non eſt. Unum ſupereſt, ut ſciam ex te, an eas miſeris: præterea qvia appetit tempus nundinarum, ut mihi ſignifices, an effigiem meam Stadam ipſam mittam, &, ſi tu forte fortuna aberis, cui illa tuto reddi poſſit. Nam jam dudum pictura ad manum eſt, & nihil mihi ægrius eſt, qvam eam nondum tibi redditam eſſe. De ſcurrilitate* Schoppii *accepi ex* Heinſio. *Non miror, qvem inſanum ſemper iudicavi, nondum reſipiſcere. Cur non in me iniqvus ſit, hominem, de eo neqve bene neqve male meritum, qvi hoſpitem ſuum & benifactorem, Rittershuſium, tam male acceperit. Lojolitæ de fabula Burdonii ſacerrimum librum in me adornant. Nihil præter ſolitum faciunt. Qvi Reges interficere ſeſe compararunt, in privati hominis exiſtimationem genus & nomen invadere mirum non eſt.*

Conferenda eſt hæc epiſtola cum illa *Scaligeri* ad Noſtrum, qvæ inter editas una exſtat p. 750. In duabus illis alteris, an. 1605. ſcriptis, *Putſchium* ad editionem

Grammaticorum perficiendam vehementer cohortatur; in posteriore vero valde qveritur de *Petro Scriverio*, his omnino verbis: *Hoc feci, qvando omnibus scripsi, ut propediem editionem Martialis ejus sperarent, neqve ejus sponsorem esse. Biennium abit, postqvam oportuit, non solum illum librum prodiisse, sed etiam omnia exemplaria distracta fuisse. Itaqve non ad illum, sed ad me, infamia hujus mendacii pertinet, qvi ejus fidem secutus, nihil qvam vanum me & aretalogum amicis meis & summis viris probavi. Neqve spes est, illum Martialem exiturum, qvanqvam proxime abest à fine: neqve causam tam seræ pœnitentiæ ego, aut amici, ex illo scire potuimus. De* Procopio *vertendo jam Scriverii exemplo doctus, nihil spondere audio. Nam* Heinsius *neqve in se recipere vult, neqve, si velit, possit, qvandoqvidem post aliqvot dies in Galliam cogitat. Si potes* Jungermanno *persvadere, commodius hoc fieri posse, qvia ille istic est, & præterea jam vertendis Græcis aliqvem usum sibi comparavit, & nihil video, qvo hanc provinciam deprecari posset, præter voluntatem, qvam elicere debes aut hortando, aut precando.*

Vol. VI.

exhibet epistolas autographas, qvas *Stephanus Vinandus Pighius* inde ab an. 1557. ad an. 1597. Latine, Italice, Belgice, Gallice qve nunc partim suo, partim aliorum nomine, ad alios scripsit, nunc ab aliis accepit.

pit. *Pighii* illæ ſunt 116. ceterorum autem 148. Illæ omnes ex αὐτογράφοις, qvæ Bibliotheca Regia Berolinenſis ſervat, deſcriptæ ſunt. Præcipui eorum, ad qvos *Pighius* ſcripſit, iſti ſunt: *Arias Montanus*, *Antonin. Auguſtinus*, *Jo. Becanus*, *Nic. Florentius*, *Jo. Fonchius*, *Jo. Bapt. Fontejus*, *Granvellanus*, *Cardinalis*, *Hoſius*, *Cardinalis*, *Gerh. Keuppius*, *Carol. Langius*, *Andr. Maſius*, *Jo. Metellus*, *Moronus*, *Cardinal.* *Chriſtoph. Plantinus*, *Gerhard. Voſſius*, *Henr. à Weze*. Inter illos vero, qvi ad *Pighium* ſcripſerunt, præter dictos fere omnes, eminent *Reinerus Brocardus*, *Franc. Brodæus*, *Caraffa*, *Cardinalis*, *Franc. Diazius*, *Hubertus Goltzius*, *Adrian. Junius*, *Guido* & *M. Laurini*, *Jo. Moretus*, *Mart. Smetius*, *Suffridus Petri*, *Jo. Taſſinus*, *Lævin. Torrentius*, & *Fulv. Vrſinus* (ad Granvellan. Cardinal.)

Pighius ille, Campenſis, Cardinali Granvellano primum a Bibliotheca & epiſtolis Latinis, poſtea vero Caroli Friderici, Principis heredis Cliviæ, ſtudiorum moderator Romæ, deniqve vero Canonicus & Scholarcha Sanctenſis fuit, vir bonarum literarum & antiqvitatis peritiſſimus Teſtantur id ſcripta varia, de qvibus *Sweertius* in Athenis Belgicis p. 681. & *Thom. Pope Blount* in Cenſura celebrium Auctorum p. 566. exponunt. Idem manu exaratum reliqvit codicem Inſcriptionum veterum, ad Corpus Gruterianum etiam

adhibitum, qvem pasſim ad partes vocat *Broeckhuſius* ad Propertium p. 68. & theſaurum antiqvitatis inæſtimabilem appellat. Eum fuſius deſcriptum legis in Bibliotheca Hohendorfiana n. 97. in 4. Epiſtolæ hæ pleræqve non vulgaria tradunt, ad eruditionem veterem & hiſtoriam illius, qva *Pighius* vixit, ætatis pertinentia.

Lege, qvæſo, epiſtolam hanc, Plantino 13. Januar. 1558. (vel potius 1568.) ſcriptam.

Accepi hodie 12 *Themidis exemplaria, ſed non cuperem ea divulgari, antequam adjungatur typus ille toreumatis, qvi poſt* Lampſonii *epigramma debet applicari. Præterlapſa hebdomada, cum eſſem in ſuburbano Vironi noſtri, perlata eſt ad me hæc epiſtola ex urbe amici cujusdam noſtri, qvi illic verſatur familiariter cum doctis omnibus. Ad eum ſcripſeram, cum primus ad Cardinalem noſtrum Themin miſiſſem, ut indicaret ingenue, ſi qvid intelligeret ab eruditis, qvod in mea hac lucubratiuncula diſpliceret. Suſpicabar enim, ut evenit, Cardinalem noſtrum confeſtim communicaturum hanc doctis, qvibus cum agit, omnibus. Qvi etiam in cauſa eſt, ut accelerarim hanc editionem: nam binis ternisve literis jam hortatus eſt, ut id facerem, metuens, ut ſcribit, ne* Onufrius, *aliqvisve eorum, qvibus hanc opellam meam legendam dederat, ejus argumenti novitatem mihi præriperet, meisve, ut ejus verbo dicam, plumis ſe veſtiret. Alioqvin meum erat con-*

conſilium, Themin ſupprimere, donec duos alios dialogos de Parcis & Gratiis adjunxiſſem. Itaqve vellem, citius adveniſſet hæc epiſtola; potuiſſem vel duobus verbis Italorum hiſce ſcrupulis occurrere. Sed, qvando ita ſors non tulit, eſſem in ea ſententia, ſi ita tibi Becanoqve noſtro conſultum, atqve operæ pretium, ut epiſtola vel in principio, vel in fine libri annecteretur, adjuncto folio, vel ſemifolio, cum meo reſponſo, qvod intra biduum triduumve ſum miſſurus.

Themis illa *Pighii* lucem vidit Antwerp. 1568. 8. apud Plantinum, cui in calce adjectæ ſunt, ut fieri volebat *Pighius*, duæ epiſtolæ; altera *Nic. Florentii*, qva in nonnulla loca animadvertitur, altera *Pighii* ad eam reſponſoria. Miror, utramqve in Antiqvitatibus Græcis Tom. IX. p. 137. ſqq. omiſſam eſſe, in qva & typus toreumatis, qvi in *Antwerp.* editione exſtat, fruſtra qværitur.

Vol. VII.

complectitur CCXC. epiſtolas apographas, qvarum pleræqve ſunt *Jo. Henr. Ammiani*, Eccleſiaſtæ in Helvetia Claronenſis, ad fratrem, & Helvetios varios, atqve horum ad ipſum ſcriptæ. Inter eos ſunt *J. H. Heideggerus*, *Caſp. Waſerus*, *Wildius*. Scriptæ ſunt inde ab an. 1651. ad 1655. & Theologica potiſſimum argumenta perſeqvuntur. In calce accedunt D. *Phil. Jac.*

Spneri novem epiſtolæ autographæ ad *Frider. Brecklingium*, in Belgio tunc degentem.

Vol. IIX.

Epiſtolæ CXIX. apographæ, qvas Nobiliſſ. *Jo. Maximil. zum Jungen*, Mœno-Francofurtanus, tandemqve in patria Conſul, ad varios, inde ab an 1625. ad 1633. partim Latine, partim Italice, partim Gallice, v.c. ad *Conr. Hornejum*, *Chriſtoph. Heidmannum*, *Jo. Baronium*, D. & Conſiliarium Electoralem Moguntinum, *Jo. Hectorem*, fratrem, *Bartholdum Nihuſium*, *Laur. Pignorium* &c. ſcripſit. In prima, qvæ ad *Hornejum* data eſt, epiſtola ſignificat, ſe prima literarum tirocinia, commendante *Bartholdo Nihuſio*, & præeunte *Hornejo* in Academia Julia poſuiſſe, ibiqve bonis artibus, Philoſophicisqve & Juris præceptis imbutum Galliam, Italiam & Belgium adiiſſe, eo conſilio, ut tandem aliqvando uſu rerum ſubactus, vel in aula Principis alicujus, vel in patria ſua, aliqvo loco eſſet. Jam vero perſpectis aulicæ vitæ corruptelis, miſeraqve temporum conditione, aliter ſtatuere, &, cum ſuus eſſe poſſit, alterius eſſe nolle.

In ep. ad *Laur. Pignorium*, an 1630. Kal. Januar. data, eum vehementer cohortatur ad parandam novam, qvam promiſerit, lucubrationum ſuarum editionem, nomina-

minatim vero tractatus de origine & jure ſervorum, qvem maxima ſui parte auctum habeat. Cum vero *Pignorius* de operis typographorum minus apud ſe ferventibus conqveſtus fuerit, auctor ipſi eſt, ut qvædam ſuorum ad ſe mittat, formis exprimenda. *Goldaſtum* porro excuſat, qvod tardius ad amicorum literas reſpondeat, qvi ſæpius Aulam Electoris Trevirenſis, cui a conſiliis ſit, adire neceſſe habeat.

Vol. IX.

complectitur epiſtolas apographas L. qvas viri qvidam docti ad *Jo. Hectorem*, ejusqve fratrem, de qvo modo diximus, *Jo Maximilianum zum Jungen* dederunt, deſcriptas ex autographis, qvæ apud Generoſum *Jo. Erneſtum a Glauburg*, eorum cognatum, exſtant. Leguntur ibi *Conr. Horneji* duæ & viginti, *Georg. Calixti* ſedecim, *Chriſtoph. Schraderi* una, *Bartholdi Nihuſii* novem, & *Juſti Geſenii* una.

In Epiſtola *Conr. Horneji* ad *Jo. Hectorem zum Jungen* Brunſvici 1628. ſcripta hæc lego: *De* Heidmanno *noſtro ita res ſe habet. Abierat is biennio abhinc in Daniam a Rege invocatus, ut in nova Academia Sorana, qvam ibi condidit, cum noſtras in Germania perditum iret, eloqventiam doceret. Sed vix ſemeſtre ſpatium ibi peregerat, cum ex veteri morbo*

decesſit, ex cujus obitu dici non poteſt, quantum dolorem ego, & quantam jacturam Academia ceperit. Tu id æſtimare poteris, qvi, qvantus vir fuerit, non ignoras. Auxit morbum, & accelcravit mortem ſine dubio tum aer inclemens illorum locorum, tum, qvod inter latrones in via inciderat, a qvibus magno damno affectus fuit. Sed ita oportet per multas tribulationes introire in regnum cælorum. Vere enim vir ſanctus & ſpectatiſſimus ille erat, qviqve publicum bonum omnibus rebus perpetuo præferret.

De *Bartholdo Nihuſio* in literis *Georg. Calixti* ad *Jo. Maximil. zum Jungen* hæc traduntur: *B. Nihuſius, olim noſter, qvem a nobis ad Pontificios defeciſſe noſti, Præpoſitus eſt monaſterii virginum Haldenslebienſis, qvod IV. hinc diſtat milliaribus. Ante aliqvot dies correptus eſt acri morbo, & qvidem conjuncto cum phreneſi. Hoc habeo ex iis, qvi decumbenti adſtiterunt, cubare ipſum in lecto, mente ſibi minime conſtare, perpetuo videre. Cauſa morbi mira narratur, qvam nondum tamen compertam habeo ſatis, nempe irrupiſſe eum in ædes monaſterio vicinas, ubi cum ruſticis, monaſterio ſubditis, ſacra celebrabat parochus, qvem ipſe pridem officio moverat, menſam celebrandæ Euchariſtiæ deſtinatam, & cathedram, habendæ concioni poſitam, evertiſſe: inde mox, vel certe ſub veſperam ejusdem dici furore correptum in ſylvas ſe propipuiſſe. Ita narrant: ego vero, ut dixi, nondum habeo ſatis exploratа. Id autem certum eſt, ipſum in loco, cui præeſt, noſtram*

ſtram abolere, & Pontificiam religionem ſtabilire ſumma enixum opum vi, & nunc delirare.

In calce exſtant Ill. *Uffenbachii* collectanea qvædam autographa, qvæ ad rem literariam & librariam potisſimum faciunt.

Vol. X.

Epiſtolæ autographæ CXCI. a viris eruditis ad B. *Jo. Jac. Schudtium*, de qvo ſupra ad Vol. XXXV. in fol. datæ. His ſubjiciuntur *Jo. Frider. Riedereri* Paragrammata Cabbaliſtica, ad Judæos inprimis ſpectantia, ſecundum Gematriam Cabbaliſticam Judæorum conformata. Comparantur ibi ſententiæ variæ germanicæ, ſtatum Judæorum delineantes, cum oraculis totidem Scripturæ, ita qvidem, ut utrinqve ex literis, ad numeros arithmeticos, revocatis eadem ſumma v. c. 8345. producatur; qvod qvidem ex ingenio Judæorum argumento eſt, id qvod Scripturæ dicto continetur, cadere in eos, ad qvos ſententia illa ſeu judicium ſpectat. Tale v. c. exſtat etiam n. 222. in B. *Schudtium*, ubi verba: Herr Johannes Jacobus Schudtius, wohlverdienter Rector des löblichen Gymnaſii zu Franckfurth am Mayn, cum dicto D. Pauli Rom. XI. 8. GOtt hat ihnen gegeben einen erbitterten Geiſt; Augen, daß ſie nicht ſehen, und Ohren, daß ſie nicht hören; bis auf den heuti-

heutigen Tag; conferuntur. Utrinqve vero prodit numerus 7702. Exſtat ibidem n. 218. catalogus paragrammatum ejusmodi 211. in res & perſonas varias conceinnatorum, inqve ejus calce monetur, præterea 250. alia auctori in promtu eſſe.

Subjiciuntur in calce hujus voluminis epiſtolæ B. *Schudtii* autographæ XXXVI. ad alios. Inter has ſunt qvædam ad P. *Honorium à Khobalt*, cujus epiſtolam ſupra ad Vol. XXV. in fol. deſcripſimus. In his epiſtolis varia præclara exſtant, qvæ inprimis ad literas Hebraicas & res Judæorum illuſtrandas faciunt.

Inter ceteras exſtant *Jo. Buxtorfii*, Profeſſoris qvondam Baſileenſis, & magni *Buxtorfii* abnepotis, duæ & triginta *Th. Crenii* qvatuor, *Jo. Henr. Maji*, Filii, octo & triginta, *Jo. Henr. Lederlini*, *Georgii Serpilii*, *Chriſtiani Grundmanni*, & *Jo. Conr. Schvvarzii* multæ &c. Adferam ex una *Buxtorfii* an. 1707. d. 26. Octobr. data, ſeqventia: *Cl. Basbuyſii inſtitutum* (ſcilicet *Biblia Rabbinica* edendi) *utrum ſucceſſum habiturum ſit, dubito nonnihil; præterqvam enim, qvod exemplaria Bibliorum Buxtorf. haberi etiamnum qveant, exſtant hodie qvamplurimæ aliæ Bibliorum Hebraic. editiones ſatis nitidæ. Ne unus qvidem illorum eruditorum, qvos audivi de ejus ſpecimine judicantes, (qvos inter eſt qvoqve acutiſſimi vir judicii,*

S. We-

S. Werenfelsius *SS. Theol. D. & Prof.*) *institutum ejus approbat; qvin potius diu est, cum qvamplurimi desiderant editionem Bibliorum Hebraic. in* 4. *cum versione lat. è regione, & succinctis notis perpetuis Philologicis; ejusmodi nulla prostat inter tot Bibliorum editiones. Et profecto, si vel Cl.* Bashuysius, *vel alius qvispiam, vel, qvod mallem, tu, vir doctissime, ejusmodi editioni operam tuam impenderes, majore id longe cum fructu Ecclesiæ Dei fieret; nec dubitandum est, qvin ejusmodi Biblia, ad usum omnium accommodata, cupidissimos passim habitura essent emtores lectoresqve. Nec tacere possum hac occasione, ejusmodi editionem olim adornare in animo habuisse Buxtorfium filium, avum meum, atqve magnam Geneseos partem typis iam descriptam fuisse, cum nescio qvæ fraus & iniqvitas Bibliopolæ sufflamen, proh dolor! optimo conatui injecisset.*

Vol. XI.

habet epp. apographas *Jo. Wowerii*, tum adhuc non editas permultas, tum vero earum, qvæ in Centuriis duabus Hamburgi an. 1618. ex ἀυτογράφοις cum multis lacunis ab *Elmenhorstio* editæ sunt, supplementa. Ex his Centuria III. fere integra dari posset. Epistolæ adhuc non editæ, & maximam partem ad *Sebast. à Bergen.* Consulem Hamburgensem, scriptæ, tum vero editarum supplementa varia exhibent ama-

amarulentius aut liberius in eruditos aliosqve dicta, multa etiam ad res civiles remqve familiarem & cognatos *Wovverii* ſpectantia, qvæ propterea luci publicæ tum temporis exponenda non videbantur. Eas omnes B. *Guſtavus Schröderus*, Paſtor qvondam Tychopolitanus, tum ex codice qvodam *Gudiano*, tum ex Bibliotheca Gottorpienſi deſcripſit. Eædem vero αὐτόγραφοι exſtant in Bibliotheca noſtra Hamburgenſi publica, nempe Vol. 64. & 101. in fol. (cum qvibus ipſe aliqvando comparavi) dignæ ex parte, qvæ lucem nunc videant, cui etiam à *Schroedtero* erant deſtinatæ. *Adamus Henr. Lackmannus*, V. C. mihiqve amicisſimus, qvi Academiam Kilonienſem cum maxime ornat, lacunas duas in editis epiſtolis relictas, in præfat. ad epiſtolas, ad *Luc. Loſſium* datas, & Hamburgi 1728. 8. editas, §. 4. ſupplevit. Idem vero de permultis aliis ex hac collectione fieri poteſt.

Accedunt in calce Voluminis XXV. epiſtolæ Illuſtris *Giberti Cuperi*, ad *Jo. Albertum Fabricium* noſtrum, virum nunqvam ſine honoris præfatione a me appellandum, ſcriptæ, eæqve bene longæ & aprime eruditæ. Eas olim *Fabricius Uffenbachio* τῷ μακαρίτῃ deſcribendas ex αὐτογράφοις lubens conceſſerat.

Nihil

Nihil obſtat, qvo minus aliqva ex epiſtola Daventria Kal. Juliis 1714. data, deſcribam.

Primo qvidem de Philaſtrio *agam. MSS. Codicum mihi ſpem fecerat* Scipio Maffæus, *Marchio, uti te feci certiorem. Anno* 1711. *hæc ad me ſcripſit:* Philaſtrii codicem, cujus vir qvidam doctus ſpem mihi excitaverat, Brixiæ nullum inveni; multo cum mœrore hoc tibi nuncio, cum videam, tanto deſiderio collationem a te exſpectari. Fabricium, Cl. Virum, fac ſtatim admoneas, ne editionem ſuam remoretur amplius. *Miraberis profecto, unde eveniat, qvod hoc tam tarde nunciem: mane, jam audies. Marchio ille publicavit epiſtulam, qvam ad me ſcripſit de Eqveſtris Ordinis Conſtantiniani fabula. In eadem mihi hæc ſignificat, ſed eandem primo ante paucos menſes opera Brencmanni accepi, & ſingulari cum voluptate legi. Argumentum enim illud optime illuſtravit, & tam eleganter, tamqve nitide Ordinem illum fictitium dedit peſſum, ut nihil ſupra, & omnino perſuaſus ſum, neminem ejusmodi nænias & ſomnia defenſurum.*

Therapeutæ mei jacent propter rationes, qvas alteris epiſtulis fui complexus, qvæ durant etiamnum, qvanqvam mihi valde placeam, ut auſim adſeverare, longe plura argumenta mihi nata inde eſſe ad dejiciendam Montfauconii, *utut viri eruditi, opinionem. Ille me ſingulari amore complectitur, uti vel inde perſpicias, qvod mihi donum*

num miſerit Hexapla Origenis, qvod opus omnes, qvotqvot ſunt eruditi, magni faciunt, idqve optimo merito. Nunc id agit, ut edat catalogum MSS. Segvierii, *Cancellarii olim Galliarum, qvos nunc nepos ejus* Coislinius, *Epiſcopus Metenſis, poſſidet. Sequetur in illo digerendo* Lambecium, *& varia parva, eaqve raritatis eximiæ, opuſcula, nobis dabit, inter qvæ conſpicuum erit fragmentum ineditum* Stephani *de Urbibus.*

Pauli Lucæ *novum Itinerarium Amſtelodami typis deſcriptum eſt. Fini adjiciuntur variæ mutilæ Inſcriptiones Græcæ, & cum iis Monumentum Ancyranum longe majus, qvale & idem editum eſt à* Jac. Gronovio *in Memoria Coisliniana.* Gallandus *conſtituit iſtud commentario amplo illuſtrare, & jam multum profligavit. Optime hanc provinciam exornat, uti ex viri literis, atqve adeo ex ſpeciminibus ad me miſſis, perſpexi cum ſingulari voluptate. Fidem indo tibi facere poſſumi, illam lucubrationem pulchram fore & eruditam, unde & fit, ut ejus inexplebili tenear deſiderio.*

An aliqvis alius Lutetiæ reliqvis monumentis manus admoveat, eqvidem neſcio: ego in ſuburbano meo ante aliqvot hebdomadas ambulans easdem legi, & plerasqve, certe potiores, parva mutatione & diſtinctione literarum reſtitui, niſi me plane fallo, & ſpecimina aliqvot miſi ad Bignonium, Gallandum & La Croſium, qvi ubi hanc operam meam probant, conabor & aliis medicinam facere.

Idem

Idem ille diligens peregrinator tertium iter ingreſſus eſt, & conſtituit peragrare Bithyniam, Galatiam, reliqvam Aſiam minorem, Syriam, Palæſtinam, Aegyptum, & penetrare usqve ad Jovis Ammonis celebratiſſimum templum, & viſere ejus rudera, ſi modo aliqva ex tanta mole ſuperſint. Ego ipſi felix iter, & amplam Antiqvitatum meſſem ex animo precor.

Sed qvid tu agis, Vir celeberrime? Bibliographia Antiqvaria in Batavos delata eſt, & impenſe laudatur: & ſpero, me illam propediem acceptarum. An jam eruditas manus alii materiæ injeciſti? an novum opus prela exercet? Fac me, qvæſo, ejus rei certiorem. Summopere enim id cognoſcere cupio, ut ita animum meum exhilarare poſſim exſpectatione certa bonarum elegantiumqve rerum, qvas nobis es traditurus.

An eruditiſſimus Sperlingius (*Otho*) *adhuc in vivis eſt? Commercium noſtrum itidem procul dubio rupit ſæva illa peſtilentia; præterea ſenex eſt, & litibus implicitus, atque adeo potuiſſet facile valedicere rebus humanis, id qvod mihi profecto durum foret, qvia ſingularem voluptatem capiebam ex erudito commercio, licet ſæpe mihi videbatur eſſe valde* σχόλιον, *uti cum defendebat, veteres Germanos & Sarmatas in caſtris ſuis ſerpentes aluiſſe, qvibus hoſtes adoriuntur, & inde in nummis inter ornamenta tropæorum, qvæ ob eos victos erigebantur, venenata animalia nobis exhiberi, qvæ ego contendebam eſſe tubas, qvarum ora in ſerpentes vel animalia alia deſinebant. Qvod ſi*

vir eruditiſſimus in vivis eſt, illudqve per te intellexero, continuo conabor ſuſcitare mortuum, certe dormiens (ne videar miracula loqvi) commercium.

Credo, te jam vidiſſe & legiſſe nova Acta Eruditorum, qvæ Maſſonos auctores habent, qvibus titulus, Hiſtoire Critiqve de la Republiqve des lettres tant ancienne qve moderne. *Multa profecto egregia in illis continentur: & leges ibi etiam epiſtolam, qvæ veterem Callimachi lectionem contra virum eruditum, qvi* Philippus Maſſonus *eſt, myſteriorum divinorum in Eccleſia Anglicana Dordraci interpres, defendit. Lege eam, qvæſo, & mihi ſignifica, ſi commodum, qvid tibi de hac lite videatur. Ejus etiam eſt explicatio Pſalmi CX. qvæ mihi neqvaqvam placet, cum, ſingulis rite & attente examinatis, ego non niſi Dominum Jeſum Chriſtum in toto illo Pſalmo inveniam, habeamqve perſvaſiſſimum, nullam periodum Davidi, vel alii homini nato, convenire. Bini Theologi Amſtelodamenſes diſputant in eo argumento, & unus Melchiſedecum, qvi partem eximiam facit illius Pſalmi, contendit fuiſſe Chriſtum ipſum, id qvod ſtatuerunt etiam nonnulli Patrum, poſt eos Cunæus, Gallierus alii; alter vero enititur probare, illum fuiſſe hominem natum principem & Sacerdotem, ſed in terris agentem, immortalitate donatum, & ita poſt aliqvod tempus cælo illatum &c. Id qvod ultimum mihi nullo modo probatur: qvin & Melchiſedecum fuiſſe Chriſtum neqvaqvam credo, ſed ſimpliciſſimum ejus loci ſenſum eſſe perſuaſus omni-*

omnino ſum, Melchiſedecum dici ſine matre & patre, ſine genealogia, qvia Moſes non memorat parentes & poſteros; eundemqve dici vivere, qvia nec mors ipſius nobis narratur. Si enim prior explicatio, uti ſit, admittenda eſt, ego non video, qvid obeſſe poſſit, cur non & alteram ejusdem valoris amplecti debeamus. Egi cum Outreinio, *qvi putat, Melchiſedecum eſſe Chriſtum, isqve conſtituit illam epiſtulam ſecundæ editioni Diſſertationis ſuæ addere, id qvod mihi perinde eſt; qvanqvam poſtea animadverterim, eandem mecum ſententiam fovere, & ita defendere Eccleſiaſten qvendam Arnhemienſem &c. &c.*

Vol. XII. XIII. XIV. XV.
epiſtolas complectuntur autographas, Theologorum inprimis Sæculi ſuperioris inclinantis & præſentis, ad D. *Jo. Henr. Majum*, Theologum Gieſſenſem, usqve ad an 1727. qvo diem obiit, datas, qvæ omnes ſecundum literarum alphabeti ſeriem, qvam Scriptorum cognomina poſtulant, collocatæ leguntur. Vol. XIII. perſeqvitur literas ſeptem priores usqve ad G. epp. CLXXXVI. Vol. XIV. inde ab H ad L. pergit, epp. CCXVII. Vol. XV. a litera M. ad R. ſiſtit epiſtolas CCLXVII. Vol. XVI. epp. CLX. a litera S ad Z. Cui cognitum fuerit, qvam diffuſum literarum commercium Theologo huic, ſcriptis variis inclyto, cum eruditis interceſſerit, is,

me non monente, intelliget, varia & non-nunqvam arcaniora illis comprehendi, qvæ ad hiſtoriam illius ætatis Eccleſiaſticam, inprimis autem controverſias Pietiſticas, ex parte etiam literariam, ſpectant. In Vol. XII. habes, ut præcipuos ſcriptores commemorem, epiſtolas *Pauli Antonii, Godofredi Arnoldi, Jo. Gvil. Baieri, Jo. Brunsmanni, Jo. Fr. Buddei, J. C. Bilefeldii, Abrah. Calovii, Theod. Daſſovii, J. A. Danzii, Mart. Diſenbachii* permultas, Lat. & Germanicas, *Henrici*, & *Chriſtophori Henrici, Dornemannorum* permultas, Lat. & Germanicas: *Georg. Elieſeris Edzardi*, multas, *J. A. Eiſenmengeri* aliqvot, *Jo. Fabricii*, Theologi Helmſtad. *Jo. Fechtii* multas, *Alberti Feldenii, Mich. Foertſchii* multas, *A. H. Franckii, B. H. Gebhardi*, & *Jo. Ern. Gerhardi.*

In Vol. XIII. exſtant illæ *J. H. Hedingeri, Herm. Schmidii, Hilleri, Matthiæ Honcampii, Jo. Henr. Hottingeri, Abrah. Hinckelmanni, J. W. Jægeri, J. C. Iſelii, A. L. Kœnigsmanni, J. M. Kraftii, Joach. Langii*, Profeſſ. Halenſis, circiter triginta, *Jo. Mich. Langii*, Altorfini, *J. M. Langiahrii, Sever. Lintrupii*, Theologi Hafnienſis, *Jobi Ludolfi* qvadraginta, *Polyc. Lyſeri*, Antiſtitis Cellenſis, fere triginta.

In Vol. XIV. leguntur epp. *Jo. Burchardi Maji*, fratris, Prof. Kilon. qvadraginta, *J. C. Malſchii, H. G. Maſii*, Theologi Hafnienſis, *J. G. Meuſchenii, I. F. Mickelii, Laur. Molinii*,

lini, Theologi Sveci, *Phil. Mulleri*, . Theologi Jenenſis, *Io Michaelis*, Separatiſtæ notiſſimi, permultæ *Henr. Muhlii*, *Io. Chriſtophori*, & *Chriſtoph. Matth.*, *Pfaffiorum*, *I. G. Pritii*, *Adami Rechenbergii* multæ, *Iac. Rhenferdii*. *Tilem. Andr. Rivini*, *I. C. Roſteuſcheri*, *Georg. Reiſeri*, *Io. Balth. Ritteri*, Eccleſiaſtæ Francofurt. *I. B. Rudigeri*, &c.

In Vol. XV. occurrunt epp. *Caſp. Sagittarii*, *I. A. Schmidii*, *I. H. Schrammii*, Theologi Herbornenſis, *Io. Iac. Schudtii*, *Eliæ Silberradii*, Prof. Argentoratenſis, *Chriſtoph. Sonntagii* multæ, *P. I. Speneri* Lat. & German. multæ, *Io. Phil. Storrii*, *Io. de Schroedern*, JCti & Conſiliarii Darmſtadini, permultæ, *W. E. Tenzelii*, *Adami Tribbechovii*, *Auguſtini Vageſii*, *Eliæ Veielii*, multæ, *Io. Winckleri*, Senioris qvondam Hamburgenſis, *Chriſtoph.* & *Andreæ Chriſtoph. Zellerorum*, *G. G. Zeltneri*, *Io. Ioach. Zentgravii*, *I. W. Zieroldi*, & *Petri Zornii*. Ceterum vitam & ſcripta *I. H. Maji* ſummatim enarrata leges in Bibliotheca Bremenſis Claſſ. V. p. 298. ſqq. in Novis Literariis Lipſienſibus an. 1720. p. 89. & 1727. p. 564. ſq. & in Bibliotheca Lubecenſi Tom. V. p. 193. ſq.

Vol. XVI.

Epiſtolæ *Frid. Brecklingii* autographæ Germanicæ ad eundem *Majum* inde ab an. 1697. ad 1700. ſcriptæ XCII. varia ha-

libris Symbolicis noſtratibus penitus adſtrictam profeſſum eſſe. Vir cetera non indoctus erat, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus. De vita & ſcriptis ejus copioſius commentaturus erat B. *Elsvvichius*, qvod ex epiſtola ejus ad B. *Henric. Brackerum*, Paſtorem Flensburgenſem, data, & in Cl. *Seelenii* Deliciis Epiſtolicis p. 447. obvia, apparet, qvo fatis functo laudatus *Seelenius* l. c. provinciam hanc in ſe ſuſcepit, idoneis in hanc cauſam præſidiis inſtructus. *Brecklingius* multa contulit ad Hiſtoriam Eccleſ. & Hæreſiologicam *Godofredi Arnoldi*, qviidem de rebus ejus, ſed, more ſuo, exponit Parte III. c. 15. §. 13. ſqq. Noli tamen credere, *Brecklingium* rationes, qvas *Arnoldus* in *Chriſtianiſmo* ſuo *primitivo* & *Hæreſiologia* ſecutus eſt, cœco impetu approbaſſe. Contraria omnia apparent ex epiſtola ejus longiore *Haga Comitum* ad B. Majum an. 1700. 28. Junii data, cujus nonnulla, ad hanc cauſam pertinentia, heic deſcribam:

Weil ich von dem Fiedler (de *Fidlero* hoc, Boruſſo, & *Dippelii* adſecla, in ſuperioribus non ſine indignatione ſcripſerat) hörete, daß er ſich wegen der Kinder-Taufe und bloſſer Gedächtniß des Todes Chriſti und Erlöſung durch ſein Blut im Abendmahl zu begehen, nach der Reformirten Weiſe, auf des G. Arnoldi erſtes Chriſtenthum berief, und auch das Unrecht, das

Lutherus des Fiedlers ſeinen beiden Apoſteln Carlſtadt und Schwenckfeld nach ſeiner Meinung angethan, aus Gottfr. Arnolds-Kätzer-Hiſtorie behaupten wolte; ſo bekam ich dadurch groß Nachdencken, daß die jungen Leute aus des Arnoldi Schriften lauter Gift ziehen würden, daraus ſonſt ein wohlgeübter Chriſt auch den beſten Honig ſammlen kann; und habe dem weiter nachgedacht, ob die Bücher auch allzu unvorſichtig geſchrieben, daß ſie mehr ſchaden als nutzen werden: und ob Arnoldi durch des Arrianers Sandii Kirchen-Hiſtorie zum Theil verrucket iſt, da der Sandius alle rechtſchaffene Patres zu Lügner, und die Arrianer alleine mit ihren Schriften zu wahrhaftigen Bekennern und orthodoxis machen will. Und weil vielerley theils von der Kirchen ausgegangene, theils Holländiſche Fladder-Geiſter und Socinianer &c. mit Arnoldo correſpondiren, und ihm allerley materien (von unreifen Geiſtern) an die Hand geben, und dabey ihm ſehr flattiren, ob Arnoldi nicht ihnen zu gefallen ein Haufen ans Licht bringet, das beſſer wäre zugedeckt oder vergraben geblieben. Sonderlich in Lutheri Hiſtoria, um ihn in vielen verdächtig zu machen, uud den Carolſtadium, Schwenckfeld, David Joris, und andere Irrgeiſter zu erheben, da GOtt ſelbſt in Noa, Simſon, Gideon und andern Hiſtorien theils vieles zudecket, theils ſo einfältig erwehnet, daß es GOttes Wort und Zeugniß in ihnen nichts derogiret.

Und

Und wäre ja beſſer, die alten Kätzereyen nicht ſo wieder aufzubauen, und zum Theil vertheidigen, phyſice aut moraliter, als daß man die Altväter darüber bey vielen in Verdacht zu bringen ſuchet. Und giebet dazu Nachdencken, warum die Hiſtoria der Arrianer aus dem Kätzer-Regiſter ausgelaſſen, und, wie Arnoldi vorgiebet, daß ſie ihm enthändiget, ob, der ſolches gethan, es nicht beſſer geachtet, daß ſolche Hiſtorie lieber unterdrücket, als mit Aergerniß der Chriſten, und Bloßgebung eines Semi-Arianiſmi ans Licht kommen ſolte. Ich habe die Kätzer-Hiſtorie noch nicht geleſen, und wegen Armuth nicht kauffen mögen, um zum gemeinen Nutzen zu gebrauchen, darum ich davon nicht weiter urtheilen kann. Aber für die **Abbildung der erſten Chriſten-Liebe** wollte ich wündſchen, daß er zuerſt die **Abbildung** ihres **Glaubens** (Hebr. 13.) recht gründlich dargeſtellet, und wie einen Baum gepflantzet hätte, practice, wie ſie durch bekennen überwindet; gleichwie die Magdeburgenſes und Hoſiander ſolches theoretice gethan, ſo ſollte die Liebe mit ihren Früchten von ſich ſelbſt wol folgen: und dann hat man nicht nöthig Früchte in den Baum zu predigen, wenn der Baum des Glaubens in Chriſtum recht eingeſtecket, und gegründet wird. Hæc vel ideo adferre libuit, ut ii, qvi hodienum operi *Arnoldino* mirum qvantum tribuunt, ex judicio viri, qvem hac in parte præjudiciis occupatum non dicent,

& cui *Arnoldus* ipſe multum tribuit, rectius ſapere, ſi posſint, diſcant.

Vol. XVII.

Epiſtolas comprehendit autographas CLX. ad B. *Jo. Henr. Majum*, filium, exaratas, & ut plurimum de variis eruditionis capitibus agentes. Habes heic unam *Petri Burmanni*, V. C. plures *Mich. Enemanni*, eruditi Sveci, multas *Jo. Fabricii*, Theologi qvondam Helmſtadienſis, *Chriſtiani Falſteri*, *Io. Henr. Gebhardi*, Butisbacenſis, *Jacobi* & *Theodori Haſæorum*, *Io. Frider. Hombergii*, *Jo. Henr. Hottingeri*, *Georg. Chriſtiani Joannis*, *J. M. Langii*, *I. H. Lederlini*, *Jo. Burchardi Maji*, *Sam. Maſſoni*, *Salom. Pfiſteri*, *Jo. Reinh. Ruſii*, *Jo. Andreæ Schmidii*, *Jo. Herm. Schminckii*, *Jo. Jac. Schudtii* viginti, *H. C. Senckenbergii*, *Eliæ Silberradi*, *Chriſtoph. Sonntagii*, *Jo. Gvil. Steinhelii*, *Jo. Frider. Thomæ* &c.

Seqvuuntur epiſtolæ autographæ variorum XXX. ad *Chriſtianum*, Patrem, & *Nicol.* Filium, *Kortholtos*, illum Kilonienſem, hunc Gieſſenſem, Profeſſores, inter qvas agmen ducunt *Francisci Erneſti*, Hasſiæ Landgravii.

Calcem occupant autographæ variorum ad diverſos XX. *Majus* noſter ad qvem ſuperiores illæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt, *Jo. Henrici*, Theologi, filius erat ante biennium fatis præmature functus, vir orientalium & Græcarum qvoqve literarum, qvas etiam

Gieſſæ

Gieſſæ cum Profeſſoris auctoritate præclare docuit, inſigniter gnarus. De vita, meritis & ſcriptis ejus ampliorem commentationem a Cl. *Io. Hermanno Bennero*, ejus olim diſcipulo, nunc Profeſſore Gieſſenſi dignisſimo, exſpectamus. Ad laudem viri id inprimis pertinet, qvod Bibliothecam ſuam omnem, eamqve Græciæ inprimis copiis inſtructisſimam, una cum commentationibus ſuis manu exaratis Bibliothecæ Academicæ Gieſſenſi legavit.

Mentionem modo feci epiſtolarum *Io. Gvilielmi Steinhelii*, viri natalibus, munerum dignitate & doctrinæ, ejus inprimis, qvæ ad Græcas literas pertinet, gloria conſpicui. Is Reſidentis Potentiſſ. Poloniarum Regis per plures annos Francofurti ad Mœnum munere perfunctus, anno vero ſuperiore defunctus, privatim otium omne evolvendis Græcis Scriptoribus impendit, inqve eos indicem locupletisſimum confecit, ejusqve beneficio Scriptores non paucos notis ſuis, ad oram ſcriptis, illuſtravit. Apparet illud ex indice Auctorum & lucubrationum ſuarum, qvem an. 1730. eo conſilio in lucem dedit, ut omnem illum apparatum, ſane egregium, qvi adhuc dum apud heredes latet, ære redimendum eruditis offerret. Memini, me apud *Majum*, τὸν μακαρίτην, iuſtum volumen videre epiſtolarum, qvibus

bus Duumviri illi, *Steinhelius* & *Majus*, de locis aliqvot Græcorum veterum & aliis antiqvitatis argumentis erudite invicem diſputaverant. Ex epiſtola viri Illuſtris 16 Januar. an. 1720. ad *Majum* data & in volumine hoc obvia, intelligo, eum in *Ariſtæneti* epiſtolis recognoſcendis verſatum, operaqve illa perfunctum ad *Maximum Tyrium* ſe convertiſſe. Sunt præterea in manibus meis obſervationes ejusdem in *Diodori Siculi* Hiſtoriam, & *Michaelis Apoſtolii* Paroemias, qvas Ill. *Uffenbachii* ope deſcriptas olim accepi. Illæ loca veterum parallela inprimis & curate deſignant. Debui hæc viri optimi memoriæ, qvi & ad *Anecdota* mea Græca ſpeciatimqve tomum eorum II. procurandum opem ſuam liberaliter eſt impertitus. Taceo, qvæ idem ad *Io. Chriſtiani*, fratris mei, Carmina veterum Græciæ feminarum ornanda liberaliter contulit. Accenſendus is utiqve eſt viris, qvos non puduit contemtas fere ſcholæ elegantias cum amplisſimorum munerum ſplendore conjungere.

Vol. XIIX.

continet epiſtolas apographas XLIX. ad *Petrum Lotichium* Abbatem Solitarienſem, & *Pet. Lotichium*, *Secundum*, patruum ejus, aliosqve, a *Lotichio Secundo* vero ad alios ſcriptas, & à *Io. Petro Lotichio* in duos libros diſtin-

diſtinctas. Legis heic literas *PhilippiMelanchthonis*, *Io. Fabricii*. *Io. Sambuci*, *Ioach. Camerarii*, cum *Lotichii* reſponſoriis, *Eraſmi Neuſletteri*, cognomine *Stürmer*, *Caſp. Peuceri*, *Jo. Langii*, *Georg. Cracovii*, *Io. Poſthii* &c.

Pet. Lotichius, *Secundus*, cujus, & ad qvem multæ ſunt in his epiſtolæ, *Petrum Lotichium*, Cœnobii Solitarienſis Abbatem, habebat *patruum*, (qvo nomine eum in epiſtolis, ad ipſum heic datis, ſemper appellat,) a qvo ut ſe diſtingveret, illud *Secundi* nomen amplexus eſt, teſte *Io. Hagio* in Hiſtoria vitæ ejus, poematibus ejusdem adjecta p. 412. De utroqve hoc *Lotichio*, itemqve *Chriſtiano* & *Io. Petro*, (de qvo ſupra ad Vol. XXV. in fol.) diligenter commentatur poſt alios *Pet. Baelius* in Dictionario Hiſtorico-Critico Tom. II. de *Lotichio* vero *Secundo* videbis *Melch. Adamum* in Vitis Medicorum p. 49. & in Vitis Philoſophorum p. 96. ſqq. *Seb. Kortholtum* V. C. in diſſ. erudita: utrum *Pet. Lotichius Secundus* obſidionem urbis Magdeburg. prædixerit, Kilonii 1703. *Niceronem* in commentariis ad hiſtoriam virorum illuſtrium gall. editis Tom. XXVI. & *Theod. Cruſium* in Symbolotheca docta p. 105. Carminis latini facultate eum inprimis valuiſſe conſtat ex poëmatibus ejus Lipſ. 1595. 8. junctim editis, ex qvibus B. *Ioach. Fellerus* Eclogam, qva Domus Saxonica & Palatina ab origine prima per-

percenſetur, ſeorſim luculentis notis illuſtratum Lipſiæ 1681. 8. recudi curavit. Ipſam hanc Eclogam, nuptiis *Ioannis Guilielmi*, Saxoniæ Ducis, & *Dorotheæ Suſannæ*, Comitis Palatinæ, dedicatam *Lotichius* ad D. *Paulum Lutherum*, *Martini* filium, & Ducum Saxoniæ Archiatrum, divulgandam miſerat, cum epiſtola, ex qva nonnulla deſcribam.

Amicitia noſtra & ſtudiorum ſocietas facit, Paule Luthere, *V. C. ut te compellem, impetrare ab humanitate tua copiam, ut carmen hoc in nuptias Illuſtriſſ. Principis, Ioannis Gvilielmi, Saxoniæ Ducis &c. heroicis à me verſibus deſcriptum, ſub nomine tuo in manus hominum emitti patiaris. Qvod te haud gravatim facturum, cum cæteræ mihi virtutus tuæ facile perſuadent, tum etiam qvod non ignorem, te non minus his noſtris ſtudiis, quæ ſibi ab humanitate nomen adſciverunt, qvam abditarum ac reconditarum rerum doctrina, qvæ à Philoſophis & Medicis tractantur, excellere. Conatus ſum maxime veterum familiarum, qvæ longe late diſſeminatæ ſunt, genealogiam breviter intexere: ex qvibus non tam præcepta, qvam exempla, fortitudinis, conſtantiæ, &, qvod caput eſt, pietatis, (ſine qva infirma eſt reliqvarum omnium rerum gloria) in univerſam Europam redundarunt. Scribendi porro fiduciam mihi attulit ſingularis Illuſtriſſ. Principum humanitas, & egregia in promovendis ornandisqve bonis artibus ſtudium, qvas illos, amplisſimis propoſitis*

positis pramiis, vel iniqvis etiam temporibus, fovisse, omnes mortales norunt, ejusque memoriam nulla unqvam temporis oblivio delebit, nulla vetustas ex animis hominum evellet. Qvid de Ioanne Friderico, Heroe plane, divino dicam, qvi hæres avitæ paternæqve gloriæ, nulli unqvam fortunæ succumbens, altiorem semper habuit animum, qvam ut iis, qvi in hac vita sunt, fluctibus obrui possit. - - - Usus autem sum in digerenda historiarum serie, consilio & opera D. Michaelis Beutheri, *ICti, qvi totius antiqvitatis & rerum potissimum Germanicarum memoriam exacte tenet, multaqve in veterum libris vel correctione sanat atqve restituit, vel explicatione illustrat. Hoc tamen carmen, mi optime atqve ornatissime Paule, qvod cum tui nominis inscriptione divulgavi, si qvando jam Spiræ, à legitimo negotiorum tempore otii aliqvid nactus fueris, etsi à maturitate abfit qvidem longissime; ita tamen leges, sicut in hortis primo vere deambulantes, donec maturitatem suam fructus assequantur, rosamve aut violam decerpere possimus, floribus interea arborum, & herbescente plantarum viriditate & incremento oblectare nos solemus. &c.*

Vel ex hoc specimine patet, *Lotichium* noſtrum & vinctam numeris & ſolutam dicendi facultatem in promtu habuiſſe.

In calce hujus voluminis legitur duplex vita *Lotichii* noſtri, altera a *Simone Stenio*, Lomacenſi, *e luculenta* Joannis Hagii *narratione* (ita fert inſcriptio) *breviter concinnata*; altera a *Io. Petro Lotichio* in compendio

ſimi-

ſimiliter tradita. Poſterioris hujus hæc eſt clauſula: *Dubio procul, ubi omnia, qvæ exſtant, Lotichii opera cum Tibullianis illis* (his ſcilicet unis *Hilarius Cantiuncula*, JCtus & Poëta Venetus, in ſuo qvodam Hendecaſyllabo carmina Lotichiana poſtpoſuerat) *paulo accuratius contuliſſet, etiam ipſi Tibullo in multis eundem anteferre potuiſſet Lotichium. Taceo hujus vaticinia, ipſo eventu confirmata, qvibus neqve Tibullus, neqve Italorum Poetarum alius qvisqvam facile par. Qvid plura? colophonem imponamus hoc noſtro, in rari ac veri ſacriqve vatis laudem alibi naſcente verſiculo:*

Eſſe propheta poteſt, qvando Poëta, ſat eſt.

Altera illa *Lotichii* vita, ex *Hagii* pleniore, qvam pœmatibus Lotichianis ſubjunctam eſſe modo diximus, in compendium miſſa, laudatur in epiſtolis *Petri Lotichii*, Abbatis, a *Io. Pet. Lotichio* Marpurgi 1640. editis. p. 10.

Vol. XIX.

complectitur epiſtolas apographas B. *Mart. Lutheri, Philippi Melanchthonis, Io. Agricolæ Islebii*, & aliorum iſtis æqvalium, ad varios datas, & ex vetere codice ſynchrono recens deſcriptas. Hic vero codex ille eſt, qvi infra num. XLVII. occurret, niſi qvod in calce horum apographorum epiſtola *Iuſti Ionæ* una, & B. Lutheri una ad *Lucam Cranachium*, pictorem celebrem, accedit.

Con-

Digitized by Google

Conferes itaqve, qvæ de altero iſto volumine ſuo loco dicentur.

Vol. XX.

habet epiſtolas autographas CXLI. ad *Io. Iac. Moſerum*, a Filſeck & Weilerberg, adhuc ſuperſtitem, virum & muneribus geſtis, & libris varii generis illuſtrem, a variis ſcriptas. Lege de eo, ſi placet, *Relationes* de Novis Literariis Wurtenbergenſes german. editas an. 1730. Sect. I. p. 61. & Sect. XI. p. 675. ſqq. Epiſtolæ ipſæ qvemadmodum a viris eruditis, maximam partem adhuc ſuperſtitibus, exaratæ ſunt, ita ad hiſtoriam civilem & literariam noſtræ ætatis illuſtrandam cum commodo adhiberi poſſunt.

Vol. XXI. XXII. XXIII. XXIV. & XXV.

conjungenda ſunt cum ſex illis voluminibus in fol. qvæ ſupra num. LII. & ſqq. allata ſunt. Epiſtolæ enim, qvæ his continentur, itidem ad *Io. Iac. Grynæum*, Theologum Baſileenſem, ſunt exaratæ, & heic qvidem ex autographis deſcriptæ. Ex his Vol. XXI. habet CXIX. illorum epiſtolas, qvorum cognomina a litera C. incipiunt; nominatim *Simonis Cluverii*, *Io. Calvini*, *Iac. Coveti*, *Pantaleonis Candidi*, Superintendentis Bipontini, *Laurentii Circleri*, *Leonh. Conſtantis*,

Iac. Chriſtmanni, Iac. Caſtelvetri, Matthiæ & Ioan. Cellariorum, & *Abrah. Colbingeri*, permultæ.

Vol. XXII. exhibet epiſtolas CXVIII. & qvidem ex litera C. *Hippolyti à Collibus*, qvadraginta, *Hulderici Cocceji, Fortunati Crellii*, ſex, *Pauli* & *Ludovici Crociorum* aliqvot, *Hieron. Commelini, Werneri* & *Friderici Caſtillioneorum*, *Jo. Czanadii*, Hungari, *Chriſtoph. Frieder. à Canitz, Jo. Clementis, A. Curæi*, &c.

Vol. XXIII. conſtat epiſtolis CXLIX. eorum, qvorum nomina à lit. K & L. incipiunt.

Vol. XXIV. tradit epiſtolas ad eundem CLII. ab iis profectas, qvorum cognomina ad literam M. pertinent.

Vol. XXV. habet epiſtolas CCCXVI. eorum, qvorum nominibus initium facit litera S.

De conditione harum epiſtolarum nihil dicam, cum illa ex Voluminibus reliqvarum ad *Grynæum* literarum, de qvibus ſupra ad Volumen LII. & ſeqventia in fol. dictum eſt, judicari ſatis poſſit.

Vol. XXVI.

Epiſtolæ autographæ XXXI. ad D. *Jo. Chriſtophorum Bileſeldium*, concionatorem qvondam aulicum, Conſiliarium Eccleſiaſticum & Superintendentem Darmſtadienſem, à D. *Phil. Jacobo Spenero*, cujus ſunt undecim, *Adamo Rechenbergio*, ſex: *Jo. Henr. Majo*,

Majo, Jo. Henr. Horbio, Joach. Juſto Breithauptio, Paulo Antonio, Chriſt. Kortholto, & Matthia Nicol. Kortholto, filio, ſcriptæ.

Seqvuntur autographæ XVII. variorum ad varios, *Chriſtoph. Cellarii, Speneri, Bilefeldii, D. G. Morhofii, Jo. Gothofredi Cyrilli*, alias *Herrichen*, &c.

Calcem hujus Voluminis occupant epiſtolæ apographæ VII *Jo. Petri Spethii*, alias *Moſis Germani*, ad Judæos infeliciter dilapſi, ad varios, & aliorum ad ipſum datæ, qvas *Uffenbachius* ex Diario itineris, per Galliam & Belgium, manu exarato, deſcribi fecit. Legis heic epiſtolas ad *Spethium, Peterſeniæ*, & *Jo. Leusdeni*, duas, cum *Spethii* reſponſoriis, item *Spethii* epp. ad *P. J. Spenerum*, & ad *Franc. Mercurium ab Helmont*. Colophonem imponit ſchedula, qvam *Jo. Gerhardus Ram*, Tychopolitanus, brevi ante, qvam juxta Wittebergam laqveo vitam finiret, ſcripſit. De *Spethio* illo, Ex Chriſtiano, homine infelicisſimo, vide, qvæ ſcripſi in *Bibliotheca* mea *Hebraica* Vol. I. & III. num. 1525.

Vol. XXVII.

primo loco ſiſtit epiſtolas autographas XVII. ad *Jo. Gothofredum Cyrillum*, ſive *Herrichen*, Scholæ Nicolaitanæ Lipſienſis Conrectorem qvondam meritisſimum, datas, v. c. D. *Chriſt. Daumii, J. G. Grævii, A. B.* & *Sam.*

Bened. Carpzoviorum, *Jac. Tollii*, *Jo. Alb. Fabricii*, tres, *Ahasveri Fritſchii*, *Jo. Trellundii*, *Jo. Georg. Pritii*, *F. D. Kohlii*, & *Anton. Magliabechii*. *Herrichii* vitam & merita in lireras celebrant auctores Actorum Eruditorum Lipſienſium Tom. IV. Supplementorum p. 89. & Celeberrimus noſter *J. A. Fabricius* in præfat. ad Poëmata ejus Græca & Latina, qvæ poſt fata Viri ἑλληνικωτάτου græcantisſimus ipſe Hamburgi 1717. 8. formis exſcribi curavit.

Seqvuntur epp. XXXVII. autographæ variorum ad *Dieterichios*, JCtos Argentoratenſes, nempe *Dominicum*, *Jo. Henricum* & *Danielem* ſcriptæ, e. g. *Bœcleri*, *Seb. Schmidii*, *Magni Heſenthaleri*, *J. H. Horbii*, novem, qvarum nonnullæ Pariſiis ſcriptæ de controverſia ſibi a *Mönckhuſio*, cui præfectus erat, mota exponunt, *Erici Mauritii*, *Jo. Henr. Barthii*, &c.

Qvæ has excipiunt, epiſtolæ XLIX. autographæ, illæ ad *Jo. Henr. Jungkenium*, Med. Doctorem & Phyſicum Francofurtenſem, a variis, Medicæ artis inprimis peritis, exaratæ ſunt, qvorum nominibus percenſendis ſuperſedeo.

Vol. XXIIX.

exhibet epiſtolas autographas CXXXVI. Sæculo ſuperiori inclinante a viris, doctrina claris, ad *Jo. Chriſtoph. Meelfuhrerum*, de

qvo

qvo ſupra ad Vol. LXIV. in fol. diximus, ſcriptas. Inter hos præſtant ceteris *Schurtzfleiſchius*, *Spenerus*, *Rechenbergius*, *Majus*, *Veielius*, *Fechtius*, *Sonntagius*, qvorum trium multæ ſunt, *Wagenſeilius*, *Bebelius*, *Bartholdus Botſaccus*, *Caſp. Loeſcherus*, *J. W. Jægerus*, *Jo. Deutſchmannus*, *Roetenbeccius*, *Jo. Gvil. Baierus*, *J. E. Gerhardus*, *Arcularius*, *Jo. Frickius*, *J. L. Hartmannus*, *Jo. Conr. Feuerlinus*, *Balthaſ. Raithius*, *D. Henr. Mullerus*, Prof. Roſtoch. *Hændelius*, *Gleichius*, &c. Has ſeqvuntur autographæ aliæ XIX. *Chriſtophoro Meelführero*, Antiſtiti Generali Onoldino, inſcriptæ à *J. V. Andreæ*, *Wilh. Lyſero*, *Dorſcheo*, *Boeclero*, *Dilherro*, *G. C. Kirchmaiero*, *Wulfero*, &c. Colophonem volumini variorum ad varios autographæ novem imponunt.

Vol. XXIX.

conſtat epiſtolis CCVII. autographis, Sæculo ſuperiore inclinante, & ineunte noſtro hoc, ad *Rudolph. Martin. Meelführerum* exaratis. In iis ſunt *Sam. Bened. Carpzovii*, *Chriſtoph.* & *Jo. Michaelis Sonntagiorum* multæ, *B. G. Struvii*, *J. C. Becmanni*, *Jo. Sam. Meelführeri* permultæ, *Io. Alex. Doederlini*, Rectoris Weiſſenburgenſis, multæ ac eruditæ, inde à n. 52 ad 120. &c. Accedunt in calce epiſtolæ Judæorum variæ, Hebraice ſcriptæ, cum aliis aliorum Gallice. Vide, qvæ

de *Meelführer* hoc ſupra ad Vol. LXV. in fol. allata ſunt.

Vol. XXX.

exhibet epiſtolas apographas variorum XLIV. ad *Ioſephum Quercetanum*, de argumentis maximam partem Chemicis & inprimis arte χρυσοποιητικῇ ſcriptas. Leguntur ibi duæ epiſtolæ *Mauritii*, Hasſiæ Landgravii, an. 1604. & 1605. datæ, *Io. Hartmanni*, Med. D. & Chymiatriæ in Academ. Marpurgenſi Profeſſoris, qvinqve, *Iac. Moſani*, Archiatri Hasſiæ Principum, qvinqve, *Andreæ Libavii* qvinqve, *Oswaldi Crollii* duæ, *Iac. Zvvingeri* una, *Hermanni van der Haghen* Medici Ordinar. Reipubl. Arnhemienſis, tres, *Mich. Dan. Polant*, duæ, *Eleaſaris Perealdi* una, cui additur deſcriptio duplex *Electri Paracelſi*, ſive arcanorum arcani, ex *Qvercetani* libris MSS. petita: porro *Andr. van Etien*, Medici Ordinar. Antvverpienſ. una, *Hier. Penedoti*, *Franc. Reutzii*, *Io. Henr. Hainzellii*, *Simonis Bergeri*, *Herman. Schilt*, *Ioach. Tanckii*, *Georg. Fleck*, *Raphael. Eglini*, *A. Rozei*, *Io. Henr. Cherteri*, *Felic. Plateri*, *Amandi Polani*, *Herm. Wolfii*, & *Mich. Riberii*. Seqvuntur *Ioſ. Quercetani* ad *Io. Hartmannum* una, *Erneſti*, Electoris Colonienſis, una, *Frederici*, Electoris Palatini, una, *Chriſtiani*, Principis Anhaltini, duæ, Anonymi alicujus permultæ, gallice ſcriptæ, & aliæ aliorum, de iisdem argumentis usqve ad ep. 89. Ex

Ex prima *Mauritii*, Landgravii, epiſtola apparet, Principem hunc Archiatrum ſuum, *Iac. Moſanum*, Pariſios ad *Qvercetanum* miſisſe, atqve adeo rogaſſe, ut vel in Germaniam, vel in confinia Galliæ & Germaniæ, veniret, vel ſaltem arcana qvædam Spagyrica rariora ſecum communicaret. Ex poſteriore vero conſtat, *Qvercetanum* veniſſe in Hasſiam, & cum *Mauritio* collocutum. In eadem porro invitatur in locum qvendam, a turbis remotiorem, in qvo experimenta *Qvercetani* Chymica edi poſſint. *Qvare*, inqvit, *de commodiori loco, operibus Philoſophicis magis idoneo, & in qvo ego ipſe liberior eſſe poſſim, cogitavi, qvi abhinc qvatuor miliaribus diſtat, qvo interim, dum Hartmannum noſtrum Marpurgo evocabimus, commigrare optime poterimus.*

Ioſephus hic *Qvercetanus* Regi Galliæ a conſiliis Medicis erat, & Chymiæ inprimis ſtudebat, de qvo ſiniſtrum *Patini* judicium in ep. ejus XXXI. p. 142. legitur. De ſcriptis ejus ex *Lindenio* & *Mercklino* conſtabit.

Vol. XXXI.

comprehendit epiſtolas *Matthiæ Berneggeri*, maximam partem ipſius manu, alias vero ab amanuenſi ſcriptas DXIII. qvas olim ad præſtantisſimos ſua ætate viros exaravit. Horum nominibus deſcribendis vel ideo ſuperſedeo, qvod potiores eorum additis

etiam ſelectioribus qvibusdam excerptis, doctisſimus *Heumannus* in *Poecile* ſua Tom. II. p. 218. ſqq. commemoravit. In his multæ ſunt ad *Hugon. Grotium*, qvas *Io. Caſp. Berneggeri* filius, in epiſtolis *Grotii* & *Berneggeri* mutuis, Argentor. 1667. editis & 1696. ibidem recuſis in 12. in lucem protulit. Atqve illæ qvidem ex eodem hoc codice tanta fide ſunt deſcriptæ, ut ipſum etiam ſcribae erratum p. 41. ubi pro *ſpecimen* legitur *ſpeciem*, exhibeatur. Obſervavit id *Heumannus* l. c., eadem opera qvatuor alia in editis errata commonſtrans, monensqve præterea, qvinqve poſtremas ad *Grotium* inter editas deſiderari. Epiſtolæ ipſæ, ſecundum temporis ſeriem ſunt diſpoſitæ, ita qvidem, ut Volumen hoc primum eas ſiſtat, qvæ inde ab anno 1623. usqve ad 1630. ſunt exaratæ.

Vol. XXXI.

easdem *Berneggeri* ad æqvales epiſtolas autographas perſeqvitur, numero CCCC LXXVI. inde ab an. 1631. ad 1640. datas. Laudatus *Heumannus* l. c. p. 396. ſqq. ipſum hoc Volumen excerpſit, monuitqve præterea, qvasdam *Berneggeri* ad *Caſp. Hofmannum* epiſtolas inter Richterianas Noribergæ 1662. p. 818-828. ex hoc ipſo codice editas legi. Pleræqve utriusqve voluminis epiſtolæ ita comparatæ ſunt, ut non minus,

minus, qvam tot aliorum, qvæ ſuperiori Sæculo lucem viderunt, luce dignæ videantur. Eminet vero inter illas epiſtola ad *Caſp. Hofmannum* longior, qvæ n. XCI. voluminis I. legitur & ad emendanda *Galeni* aliqvot loca refertur.

Vol. XXXIII.

complectitur epiſtolas *Petri Denaiſii* ad *Georg. Michaelem Lingelsheimium* num. CXXXIV. qvas ex αὐτογράφοις deſcribi ſibi curavit *Berneggerus*, qvod ipſe manu ſua in limine harum epiſtolarum teſtatur. *Petrus Denaiſius*, JCtus illuſtris, primum qvidem Electori Palatino & Duci Bavariæ a conſiliis fuit, multisqve & amplis legationibus perfunctus in Cæſareo qvoqve tribunali præclarum ſe præſtitit usqve ad an. 1610. qvo qvinqvagenario major diem obiit. Vide *Hippolyti de Collibus* MemoriamDenaiſianam, Monumentis Pietatis & Literariis variorum, Francofurti ad Mœnum 1701. editis, inſertam Parte II. p. 109. Copioſiora vero dabit *Melchior Adami* in Vitis JCtorum p. 203. & *Paulus Freherus* in Theatro p. 243. ſq. Literæ ipſæ inde ab an. 1584. ad 1592. procedunt. Ultima tamen earum in hoc apographo ad finem non eſt perducta, fieriqve adeo poteſt, ut plures olim deſcriptæ exſtiterint, qvæ fortaſſe, neſcio qvo fato, perierunt. Eædem non tam re-

rum argumentis, qvæ tamen nec ipſa hinc inde deſunt, qvam nitore dictionis ſe commendant. Habe in exemplum epiſtolam Spira 11 Januar. an. 1592. ſcriptam:

Valde recreat me & erigit accerſitus ille vir. (ſuper ſcriptum heic erat *Hutteni* nomen) *Placet & conſultatio de Comite.*

Deus conſilia veſtra regat & ſecundet! Ego omnia lacta auguror his talibus conſultoribus: in qvibus percam male, ſi qvicqvam puto poſſe reqviri, ſive qvis fidem reſpiciat, ſive prudentiam uſumqve, ſeu denique finem, & ſcopum communem. Te non dubito & eſſe & fore inter intimos. O improbos ſimul & improvidos, qvi paulo ante leviſſimi cujusqve te injuriæ opportunum credentes, ſine cauſa labantem, uti rebantur, impellebant, inſultabantqve. Nolim ego ne nunc qvidem inſultare cuiqvam. Sed tantæ injuſtitiæ ereptam illis facultatem qvis non gaudeat? Telluris inutile illud pondus, ac tantum optimo cuiqve, propinqvis autem maxime, grave & moleſtum, recte ſpernis, niſi qvod periculum impendet, opinor, à præpotente illo tuo anteceſſore, illius nunc qvæſtore S.p. Utinam hæc difficultatum moleſtiarumqve ſumma ſit: expeditiores rationes vidiſſem nunqvam. De me ſic habe. Febrim, qvæ pede claudo vix receſſerat, nunc pleno ſaltu redire velle videtur: qva in re illud tamen ſolatio eſt, qvod ſimplicem fore confido. Nudius tertius valde me iterum dejecit, inqve languorem priſtinum dedit, cum ante qvatriduum vel triremibus apti viderentur lacerti. Nec tamen

moram

moram ea tui adeundi injiceret, ſi vel tibi, vel publico, ex me aliqvem uſum proſpicerem animo. Sed præterqvam, qvod vos tales merito qvis gratuletur Palatinatui potius, qvam mei ſimiles expoſcat; accedit illud qvoqve, qvod nimium eſſet mihi iſtic valetudini curandæ otium futurum, te totos dies (ut par eſt credere) Principis lateri adhærente, negotiisqve adſiduis diſtracto.

Addam huic aliam, feſtivi ingenii indicem, & 27. Januar. ejusdem anni ſcriptam:

En tibi perſonas Comœdiæ noſtræ, nunc ultimum ſine perſonis in ſcenam prodeuntes!

Salomon, qvod bene eveniat, ſit, qvi fait. T. & A. qvidni Claudius vocitetur jure optimo? Si qvid ſimilitudini deeſſe putabis, ſcribam propediem Apocolocyntoſin, & qvadrabunt omnia.

Hans Ageſilaus eſto, vel qvia claudus, vel qvia ſocero tuo Hunruhe vocitabatur. Ille, qvi unus homo nobis reſtituit rem, Fabii cognomen mereri videtur. Sed qvia diſplicet verbum, (cunctando) *qvid ſi collegæ ejus, maxime contrariam inſiſtentis viam, huic accommodemus? Marcellus nuncupator. At vero* Witgenſteinium, *Marcelli collegam, ob mores, Fabio forte qvam illi ſimiliores, Fabium eſſe ſinamus, vel Maximum,* wegen Bedienten Groß-Hoffmeiſter-Ampts. *Sequitur Tullius, germanus, Hohenſaxius: qvare? qvia utrique viſum, ut cedant arma togæ. Soocr Atejus nominator, non Labeo: illius enim obſequium dominantibus magis probabatur; hujus incorrupta*

corrupta libertas. In Naſica nihil muto. Ruſinum nomini ominiqve tuo relinqvo. Plesſenius, qvi multorum mores cognovit & urbes, Vlyſſem dici placet: & ſimulatam audio ſimplicitatem, ne turbis Aſiaticis miſceretur, ſpectator otioſus. Grœrodium *ei Achatem tribuo, ſi videtur.* Hohfelderus & Lœfenius, *qvibus rebus maxime diſident, hic diſcriminantor: atqve ille Politicus, hic ICtus eſto.* Dobbinus *Patriarcha creator. Qvi autem vere eſt Patriarcha apud vos, in Flaminum nomen gentemqve tranſito.* Zundelinum *vis ne* Languetum *vocemus? Ratio tibi in promtu. Venio ad Collegas, qvorum illum pervelim Catonem dici ob libertatem dicendi agendiqve Stoicam: hunc Decani dignitate ſpoliare nulla ratio eſt. Ob verſus meos Comicos patere qvæſo* Hippolytum *Durindanam vocari. Te alium mihi eſſe, qvam qvi es, nolo, Pyladem: eoqve nomine Oreſtem me compellari facile admitto. Helmſtetteri eram oblitus: is nobis Catechumenos erit, dum noſter fiat, & alio nomine baptizetur. Habes gloſſam: mox per rhedarios textus ſeqvetur. Si qvid horum diſplicet, cenſura tua eſto: ſed memini, Decani auctoritate hæc omnia ſcita, ſancita.*

Seqvitur in hoc volumine index alphabeticus Scriptorum veteris Græciæ, ex *Polluce, Arriano* & inprimis Scholiaſtis, qvorum loca de illis excitantur, vel a *Bernegger*o, vel a *Bœclero* confectus. Inter horum enim ſchedas, qvas ſibi a *Leerſio* Bibliopo-

la

la Argentoratenſi comparaverat *Uffenbachius*, inventus fuit. Enimvero lineas potius indicis & levia initia, qvam indicem, heic obſerves.

Agmen claudunt collectanea *Bæcleri* αὐτόγραφα, ad notitiam Scriptorum potiorum, qvi Geographiam & Hiſtoriam omnis generis illuſtrant, ſpectantia.

Vol. XXXIV.

primo loco exhibet Clavem in epiſtolas *Philippi Melanchthonis* ad *Ioach. Camerarium*. Petita illa eſt ex notis, qvas *Camerarius* ipſe manu ſua ad exemplum illarum epiſtolarum editum ſcripſiſſe creditur. Exemplum vero illud fuit apud B. *Immanuelem Weberum*, Profeſſorem qvondam Gieſſenſem, ex qvo *Uffenbachius* ſua manu deſcripſit. Dabo infra illam integram ad edit. Lipſienſem 1569. ab Erneſto Vœgelino in forma octavi ordinis, cum Camerarii præfatione, curatam.

Secundo loco habes verſionem Latinam epiſtolæ D. *Pauli* ad *Coloſſenſes*, Arabice ſcriptæ, factam à *Gvil. Bedvvello*, cum ejusdem præfatione, ex libello in 12. ipſius manu ſcripto, qvi in Bibliotheca publica Acad. Cantabrigienſis una cum præſtantiſſimo ejusdem Lexico Arabico, VII. voll. in fol. exarato, adſervatur. Verſio ipſa brevibus ad marginem ſcholis illuſtratur.

Eam

Eam vero in libello *Bedvvelli* MS. ipſe contextus Arabicus ſeqvitur.

Tertio loco occurrunt *Excerpta* ex catalogo librorum MSS. qvi exſtant in Collegio Amploniano Erfurtenſi, qvæ *Uffenbachii* induſtriae debentur.

Qvartum locum occupant annotata de codice qvodam Græco *Joannis Monachi*, qvi adſervatur in Bibliotheca Collegii Emanuelis Cantabrigiæ, deſcripta ex catalogo MStorum illius Bibliothecæ, procul dubio à *Joſua Barneſio*, Collegii illius ſocio, confecto, ſicut alter ille, qvi in Catalogo MSS. Angliæ Parte II. exſtat, eidem debetur, in qvo tamen hæ obſervationes non leguntur. Codex hic C. Græcus bene ſcriptus in 4. chartaceus eſt, ſub tit. *Joannis Monachi* πνευματοφιλοσόφου, *Diſputatio inter corpus & animam.* Argumentum libri ſic habet: Μετρία ὑπόθεσις καὶ ὑπόμνησις διὰ στιχολογίας, πῶς ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος διαζεύγνυται, καὶ πῶς λυπεῖται ἄχρι τῆς κοινῆς ἀναστάσεως, καὶ ὅτι ὁ πατὴρ, ὁ μήτηρ, ὁ τέκνα, ὁ συγγενεῖς, ὁ φίλος ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ δύνανται αὐτῷ βοηθῆσαι, ἀλλὰ τὰ ἔργα αὐτῆς καὶ μόνα. Καὶ τίνες αὐτὴν παραλαμβάνουσι, καὶ πῶς μετὰ χωρισμὸν καθίστασιν αὐτὴν, καὶ ποία κρίσις αὐτῇ μετὰ τὴν ἀνάστασιν γίνηται, καὶ πόσοι κλαυθμοὶ καὶ θρῆνοι. Ιωάννου . . . . . καὶ ξένου δι' ὧν καὶ ἀπελέγετο πρὸς τὴν ἰδίαν ψυχήν. *Petrus Lambecius* in ſuis de Bibliotheca Cæſar.

ſar. Vindobon. commentariis lib. V. cod. CCXIII. volumen hoc ita inſcribit: *Philippi Solitarii Dioptra, ſive amuſis fidei & vitæ Chriſtianæ ad Cabinicum Monachum verſibus Politicis.* Omitto reliqva.

Finem voluminis facit *dialogus*, inter *Prudentiam humanam* & *Ochinum* habitus, & Italice deſcriptus, qvem *Uffenbachius* in limine *Dialogorum* Ochini Latine Baſileæ 1563. in 8. editorum, in Bibliotheca publica Cantabrigienſi manu exaratum invenit, ſibiqve deſcribi curavit. Pertinet ille ad *Ochini* vindicias de iis, qvæ is in Dialogis ſuis commentatus eſt. Neqve dubito, illum ab Ochino ipſo ſcriptum eſſe. Non procul ab initio *Ochinus* teſtarur *Prudentiæ*, ſe eo tempore, qvo ſermo ille habitus eſſe fingitur, anno ætatis ſexto & ſeptuageſimo inter tot moleſtias & calamitates, animo tamen tranqvillo, laetaqve conſcientia adeo frui, ut, infirmus cetera & debilis, rebus ſuis & partibus rectisſime fungi poſſit. In fine deſcripta hæc eſſe dicuntur Baſileæ an. 1572. d. 23. Maji. Qvod ſi ipſe *Ochinus* dialogi auctor eſt, ſcripſiſſe eum an. 1563. videtur. Illo enim anno, 76. annos habens, a Tigurinis pulſus fertur in *Petri Pernæ* epiſtola ad Czechovicium ſcripta, qvam *Sandius* affert in Bibliotheca Anti Trinitariorum p. 3.

refertum eſt epiſtolis LXXVII. apographis, variorum, inde ab an. 1525. ad 1563. exaratis. Inter has ſunt duæ *Franciſci*, Regis Galliarum, ad *Melanchthonem*, cum hujus reſponſoriis, *Lutheri* item, *Melanchthonis*, *Buceri*, *Pet. Martyris*, *Jo. Sturmii*, *Mart. Malleoli*, *Jac. Sadoleti* &c. Collectæ illæ videntur a *Malleolo* ipſo. In Indice enim, huic volumini præmiſſo, inter cetera hæc legis: *chirographum meum, qvod Scholarchis dedi* p. 146. Id vero eadem pagina tanqvam a *Mallaolo* datum, legitur. In prima tamen voluminis pagina hæc habes: *Noctua prudens magis qvam loqvax. Taciturnitas plerumqve prudentiæ ſignificationem habet: eſt tamen aliqvando eam videre, ab imperitia proficiſci. Loqvacitas autem ſemper vitioſa: prudens oratio aut docet, aut voluptate afficit utrumqve.* His vero ſubſcriptum erat: *Jo. Sturmius* an 1562. Hanc vero *Sturmii* manum eſſe dubitare me non ſinunt alia ejus, qvæ habeo, *αὐτόγραφα*. Itaqve ſic ſtatuendum videtur, *Malleolum* ea, qvæ in calce voluminis a reliqvis diſtincta apparent, poſtea in idem volumen retuliſſe.

Adferam ex his epiſtolam à *Jo. Sturmio* ad *Ottonem Henricum*, Electorem Palatinum, Argentor. 1557. 15. Februarii ſcriptam, ex qva apparet, Sturmium ab Electore ad continuandam Sleidani hiſtoriam invitatum

tum eſſe, hunc vero provinciam illam ſub certis conditionibus ſuſcepiſſe.

Illuſtriſſ. Princeps, Clementiſſ. Domine. Ex Ulrico Gigero intellexi, cupere Clementiam Veſtram, inde, ubi Slidanus deſiit, noſtrorum temporum hiſtoriam continuari, & eidem Doctori Ulrico in mandatis datum, ut mecum ageret. Etiam ex D. Joanne Marbachio, & D. Ludov. Grempio de eadem re audivi: & mihi optatiſſimum eſſet, & Illuſtriſſ. Clementiæ Veſtræ poſtulato poſſe ſatisfacere, & memoriæ noſtrorum temporum conſulere; ſed hiſtoriam conficere cum per ſe difficile & arduum eſt, tum etiam invidioſum atqve periculoſum. Hæ duæ cauſæ tametſi me & hortari & deterrere debeant, tamen conabor aliqvid, & experiar, ſi qveam, modo duo mihi ab Illuſtriſſ. veſtra Clementia dari poſſint. Unum, ut adjuver ex Archivis Illuſtriſſ. Clementiæ Veſtræ, & mihi adſit, ut ex aliorum etiam Archivis adjuver. Alterum, ut, ſi adſeqvar, qvod volam, & ſingulorum annorum res geſtas & conſilia annotem, non cogar prius, qvicqvid hujusmodi eſt, edere, qvam vitæ meæ id tutum ſit, & noſtris temporibus neceſſarium. Placet tamen mihi, ut, qvantum ſcripſero atqve emendaro, id & Veſtræ Illuſtriſſ. Clementiæ Archivis atqve etiam noſtri Magiſtratus committam. - - - In Slidani hiſtoria video, qvid multi reqvirant omnis ordinis & omnium partium homines. De illis mihi non opus eſt ſcribere in hac epiſtola: ſed qvicqvid tale eſt, id vitari commodius poſſit in hiſtoria, ſi contrariarum partium cognoſcerent

consilia atqve opiniones, & voluntates. Est enim Historici finis veritas, eaqve accommodata ad vitam & utilitates mortalium : sed multa incerta, præsertim in hominum voluntatibus : certa narranda & affirmanda sunt, in rebus vero incertis hominum ponendæ sententiæ & partium iudicia: sæpe etiam fama affirmat, qvod Historicus non possit asseverare. &c. &c,

Idem in epistola altera, ad eundem Electorem 15. Maji an. 1558. scripta, nunciat, se per commentarios Aristotelicos perficiendos versari in Opere illo historico hactenus non potuisse; proximum tamen esse, in qvo in posterum sit versaturus. In reliqvis *Sturmii* epistolis nihil amplius de hoc opere commemoratum invenio, ex qvo conjecturam facio, *Sturmium* postea animum ab eo prorsus avertisse.

In limine hujus voluminis varia leguntur testimonia, a *Jo. Sturmio*, & aliis Academiæ Argentoratensis Professoribus data. Inter hæc primum locum occupat illud, qvod *Hieron. Zanchio*, petenti, datum est in hanc sententiam an. 1563. *Doctor Hieron. Zanchius ea vitæ est innocentia, ut vitæ a me non opus habeat testimonio; ea vero præditus doctrina est, ut neqve ingenii, neqve virtutis opus habeat defensionem à me petere. Sed tamen, qvia petit, do ei testimonium & pietatis atqve innocentiæ in vita, & in literis sacris doctrinæ & veritatis, optimo viro, sanctissimo Theologo, svavissimis moribus homini,*

Petiit,

Petiit etiam, ut, ſi illius contentionis auctor fuit, qvæ Argentinæ in Scholis & Eccleſia agitata fuit, non juvem meo teſtimonio; ſin minus, ut ne deſim. Dico igitur, & Deum teſtificor, innocentem hominem, eruditum Theologum, pacificum virum, in hanc pugnam a ſuis iniqvis injectum, ut etiam Collegium Thomanum & Scholaſticum ad hanc infeſtam dimicationem pertractum fuiſſe, fortiter & vere ſua defendiſſe, & de ſua doctrina ne latum qvidem deceſſiſſe digitum.

Vol. XXXVI.

copiam facit literarum autographarum, CXXVIII. qvæ a præſtantiſſimis viris ad *Jo. Henr. Bæclerum* ſcriptæ ſunt, qvodqve adeo jungi debet qvatuor illis voluminibus, qvæ ſupra n. l. ſqq. attulimus. Habes ſcilicet *Chriſtoph. Forſtneri*, 27. *Iacobi Putcani* 2. *Ismaelis Bullialdi*, 7. *Pet. Gaſſendi* unam, *Jo. Alb. Portneri* 82. *Lucæ Langermanni*, Hamburgenſis, unam, *Nicol. Heinſii* duas, & *Nicol. à Gersdorf* qvatuor. Paucisſimæ ſunt inter illas, qvæ lucem videre non mereantur. Deligam unam *Ismaelis Bullialdi* Pariſ. 1654. 28. Januar. datam, ex qva ſeqventia deſcribam.

De Scaligeri *Manilio qvid ſentiam, qværis. De tanto viro judicium ferre, famæ fortaſſe meæ nocuerit. Dicam tamen, ſenſum auctoris in omnibus illum non eſſe adſecutum: felicius tamen de Aſtrologia ſcribenti ceſſiſſe, qvam noſtro*

μακαρίτῃ καὶ τῷ πάνυ, ὁπότε ἐβίω, Salmasio, *in amplissimo illo tractatu de annis Climactericis, in qva nullam de artis præceptis scientiam sibi paravisse prodit, sed solam Græcarum vocum notionem. At vero qvid mirum? Voluit* Salmasius *omnia perlustrare.* Diophanti *Arithmeticam olim cum MSS. Codicibus Heidelbergæ contulit, qvi Mathesin ne qvidem à limine salutaverat. De Astrologicis scribere, qvi prima artis elementa nesciebat, aggressus est, qvod MSS. libros publici juris haud factos legisset. Noli tamen ea sic accipere, ac si famæ tanti viri detrahere conarer; absit à me tantum scelus. Mortui famam lacerare nefas summum eqvidem foret, cujus amicitiam, dum vixit, colui. Erat procul dubio vir ille omnium Europæorum doctissimus, libros evolverat, & attente legerat; judicio erat acri præditus, memoria etiam pene divina. Maximi vero facienda est illius indoles & morum facilitas; & in colloqviis familiaribus leporem, venustatem & urbanitatem ipsius admirari convenit. Sibi ac nominis sui splendori ipse defuit, cum scripta nunqvam relegeret, qvæ ex abundantissimo ingenii & memoriæ penu promebat. Scaligero autem infelicissimus, dum Astronomica & Geometrica tractare audet, contigit exitus. Illi tamen nævi virorum illustrium splendori ac claritudini non officiunt. Uterqve enim, qvando de rebus, sibi tantum per nebulam notis, disserunt, qvando à scopo aberrant, multa cæteros docent, qvæ ab aliis frustra qvis qværeret. De tertia Manilii editione nihil inaudivi, & Illustriss.*

Jac.

Jac. Puteanus, *Claudii F. qvi Scaligero notus olim fuit, de illa qvicqvam reſciviſſe negat. Si qvid Scaliger poſt editionem alteram in Manilium conjecit, id in Bibliotheca Lugdunenſi Batavica delitescit: teſtamento qvippe libros ſuos Academiæ legavit, ibiqve adſervari hactenus omnes ſcio. Plura ſcribenda habere cuperem, qvibus curioſitati tuæ plenius ſatisfacerem. Dnos Berneggerum, Dorſchæum, Kuſlerum, Medicum Alchymicum, Kœnigsmannum, omnesqve veſtros eruditos, ſaluta.*

Idem Haga Comitum, qvo cum Legato Regis Galliæ iverat, an. 1657. 20 Jul. inter cetera hæc ſcribit:

Miraberis fortaſſe, qvod otium ſvave negotioſis exercitiis commutarim. Sponte non feci: obſeqvendum fuit patroni deſiderio, qvi me à ſecretis ſibi eſſe voluit, ſicqve inaſſvetum iſti labori addixit. Studia mea ſemper cogito, Muſasqve, ne me deſerant, vel ipſas dimittam, ſi non manu, ſaltem peplo retineo, illarum in amplexus adhuc poſtea deventurus.

Vol. XXXVII.

habet epiſtolas autographas virorum Illuſtrium, qvæ ad Marchionem *de Rochegude* in cauſa potisſimum Gallorum, ob religionem vel exulum, vel ad triremes damnatorum, datæ ſunt, inde ab anno 1698. ad 1701. Epiſtolæ ſunt omnino CCCXXXV. qvæ jungendæ ſunt illis, qvas ſupra Vol. XXXIV. in fol. attulimus.

Vol. XXXIIX.

ſimiles ad Eundem inde ab an. 1702. ad 1704. ſcriptas num. CCCLXXVI. complectitur, qvemadmodum.

Vol. XXXIX.

illas ſiſtit, qvas Idem anno 1705. & 1706. accepit, CCCXXXII.

Vol. XL.

aliis ejusmodi, in eadem cauſa an. 1707. & 1708 ſcriptis onuſtum eſt. Earum numerus conficit CCCLVII.

Vol. XLI.

ſimiles habet CCCIII. eidem ſine anni indicio ſcriptas.

Vol. XLII.

eſt epiſtolarum & actorum, ad idem argumentum ſpectantium, CCLXXXVI. maximam partem ſine die & conſule datorum.

Vol. XLIII.

conſtat foliis 455. & varia exhibet tum opuſcula, tum epiſtolas, eo tempore, qvo doctrina ſalutaris a ſordibus ſuis purgabatur, ſcriptas, & a coaeva qvadam manu deſcriptas. In limine exſtant epiſtolæ Lutheri XIX. ad diverſos, maximam vero partem ad *Nic. Hausmannum*, ſcriptas. Se-

qvi-

qvitur Expoſitio Latina B. Lutheri in Pſalmos XXV. priores usqve ad fol. 107. *Coburgi*, ut inſcriptio fert, an. 1530. Porro commentatio *Phil. Melanchthonis* in locum Pſ. II. *Oſculamini filium* &c. & in epiſt. Domin. XIII. p. Trinit. fol. 107-110. Argumenta & ſolutiones diſputationis, ubi reſponderunt *Jac. Schenk* & *Phil. Motz* pro licentia an. 1536. 10. Octobr. fol. 111-115. Argumenta & ſolutiones diſput. ubi reſpondit *Pet. Palladius* pro licentia an. 1537. 1 Jun. f. 116-122. Argumenta & ſolutiones diſputationis circularis de veſte nuptiali Matth. XXII. an. 1537. 5. Jun. fol. 123-132. Diſputationes tres contra Antinomos fol. 133-171. Diſputat. contra Sacramentarios, Marpurgi 1530. fol. 173-180. Diſputat. de Miſſa privata f. 181-187. Diſputat. ubi reſpondit *Pet. Hegmon.* fol. 188-197. Summa Articuli de Juſtificatione p. 198-202. Has excipiunt epiſtolæ Lutheri XLI. Coburgo Auguſtam Vindelicorum in Comitiis ſcriptæ ad varios, *Juſtum Jonam*, *Melanchthonem*, *Jo. Agricolam*, *Spalatinum*, &c. fol. 203-238. cum paucis aliis ad *Melanchthonem* in Conventu Smalcaldienſi &c. an. 1540. datis, usqve ad fol. 242. Hinc Lutheri epp. familiares ad diverſos usqve ad fol. 252. qvibus f. 253. ſubnectitur ſummaria deſcriptio præcipuorum momentorum vitæ Lutheri. Se-

qvitur oratio in promotione *Pet. Palladii* à *Luthero* compoſita, à *Palladio* autem recitata, f. 251-254. Concio B. Lutheri in Epiphan. 1544. fol. 254-263. Concio de S. Chriſtophoro f. 263-267. & de S. Michaele f. 267. verſo. Meditationes Latinæ ſuper Pericopas Evangelicas inde a Domin. I. Adventus usqve ad Feſtum Paſchatos an. 1525. propoſitæ, fol. 268-306. Deinde argumenta & ſolutiones ex Diſputationibus ordinariis *Melanchthonis*, v. c. de Pœnitentia, de Magiſtratibus, de communione rerum &c. fol. 307-316. Ejusdem diſputatio contra Malvendam 12 Mart. 1546. fol. 316-321. & alia argumenti Theologici usqve ad fol. 352. Inter qvæ & epiſtolæ ejus nonnullæ exſtant. Porro multæ ejusdem ad Lutherum & alios epiſtolæ fol. 353. ad 431. qvibus tamen & aliæ aliorum miſtæ ſunt. Colophonem imponunt epiſtolæ B. Lutheri ad varios nunc Latine, nunc Germanice ſcriptæ fol. 432-447.

Volumen hoc fuit olim B. *Jo. Frid. Mayeri*, in cujus Bibliothecæ indice inter MSS. adfertur p. 732. n. 1. Varia exhibet adhuc *ἀνέκδοτα*, etiam inter epiſtolas, ex qvibus porro qvæ editæ proſtant, eas paſſim ex his apographis emendari poſſe, expertus didici. Copioſius enarratur in Bibliotheca Uffenbachiana MS. in fol. Parte V. p. 256. ſq.

Vol.

Vol. XLIV.

antecedenti illi prorſus eſt ſimile, & ab eadem manu ſcriptum, foliis conſtans 431. & ex Bibliotheca *Mayeriana*, cujus catalogum p. 732. n. 2. videbis, ære qvondam redemtum. Conſtat autem fere omne epiſtolis B. *Lutheri* & *Melanchthonis* ad alios de variis argumentis ſcriptis, de qvibus fortaſſe proxime copioſius exponam. Multæ in his ſunt, qvæ nondum lucem viderunt, aliæ vero, qvæ mendoſe editis medicinam ferunt.

Vol. XLV.

ex Bibliotheca *Mayeriana* itidem redemtum (vide Catalogum l. c. n. 3.) primo loco epiſtolas exhibet varias *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Hier. Schurfii*, *Jo. Brentii*, & *Juſti Menii* apographas XXIX. Seqvitur *Lutheri* diſputatio de poteſtate Concilii an. 1536. alia ejusdem contra Miſſam privatam an. 1535. Alia de ſententia Danielis IV. utrum ibi Daniel operibus juſtificationem tribuat, an. 1535. Alia de variis argumentis an. 1544. a D. Theodoro & D. Stanislao Lithuano, præſide Luthero, habita. Has ſeqvitur *Georg. Veneti*, Pruteni, Diſput. de diſcrimine legis & Evangelii Vittebergæ pro licentia an. 1550. habita. Porro *Pauli Eberi* catalogus prodigiorum XL. Witteb. 1551. deſcriptus: *Viti Winshemii* hiſtoriæ variæ ex

veteri & recentiori memoria repetitæ. Epiſtolæ *Lutheri* qvatuor apographæ. Deinde verſio Pſalterii germanica à Luthero an. 1524. condita, jam vero in calce Tomi Operum Germanicorum Lutheri Hallenſis exſtans. De ea lege B. *Mayeri* Hiſtoriam verſionis Lutheri Biblicæ p. 10. Huic latus claudit *Confeſſio fidei & doctrinæ* vernacula *Mart. Moſederi* V. D. M. in Auſtria cum epiſtolis nonnullis Lutheri, deſcripta ex editione Ratisbonenſi an. 1561. Proximum eſt B. *Jo. Chriſtoph. Schomeri* Collegium noviſſimarum controverſiarum cum *Balthaſ. Bebelii*, Theologi qvondam Argentoratenſ. & Wittebergenſis, *Theologia Hiſtorica Gallica, ex probatiſſimis auctoribus collecta, & ſecundum articulos fidei diſtributa* an. 1682. & 1683. Illa adhuc eſt *ἀνέκδοτος*. Ampliorem hujus voluminis enarrationem habes in Bibliotheca Uffenbachiana MS. Halæ 1720. fol. edita Parte V. p. 280. ſqq.

Vol. XLVI.

conſtans foliis 219. primo loco repræſentat iudicia & ſententias *Lutheri* de variis argumentis ex ore ejus hauſtas, & ſub titulis v. c. *de die reſtitutionis omnium, de divitiis piorum in his terris, de Davide, de prædicatoribus maximis homicidis* &c. conſignatas a fol. 1. ad 36. Deinde ſeqvuntur epiſtolæ *Lutheri* variæ v. c. ad Paſtorem qvendam Cygneum,

Cygneum, ad Joachimum, Marchionem Brandenburgenſem, ad Landgravium Haſſiæ &c. nec minus *Melanchthonis* & aliorum, immiſtis tamen hinc inde collectaneis & obſervationibus variis, à *Luthero*, ut puto, profectis. Ex hoc codice deſcriptæ ſunt illæ epiſtolæ, qvarum ſupra Vol. XX. facta eſt mentio.

Vol. XLVII.

continet *Roberti Koenigsmanni* Adverſaria in itineribus confecta, una cum epiſtolis LXIV, qvas ipſe, tum ex itinere in patriam reverſus, tum alias, in has chartas conjecerat, ad viros eruditos ſibiqve amicos mittendas. In harum una, qvæ octava eſt, ad *Balthaſ. Venatorem* data, apparet, eum in itinere cum adverſis variis eſſe conflictatum. *Percrebuit*, inqvit, *hic* (Argentorati) *rumor, animo adverſis dejecto, tandem ordinibus cuculatorum me adſcriptum. Scilicet ex Stoa aut Lacedæmone me prodiiſſe conjecerant, qvi tam ſplendide de nobis iudicabant.* Inſperſa præterea ſunt carmina ejusdem varia Latina, nitida & luculenta. In calce habes ſeqventia ex *Jo. Mochingeri* qvadam ad amicum epiſtola, ab ipſo deſcripta, qvæ, qvanti vir doctus illum fecerit, teſtantur. *Audi præter illud ſacræ profanæqve literaturæ oraculum Dn. Dannhauerum, tanqvam myſtagogum in eruditione eximium, Dn. Koenigsmannum. Non dubi-*

dubito, fore promtum. Novi hominis mores, qvibus exprimit B. Berneggerum. Videbatur & hic ſibi neſcire omnia, &, ne neſciret qvicqvam, omni virium ope ſtudebat. Volebatqve prenſari, ut doceret, & tamen docebat paratiſſime & copioſiſſime. Ad libros parandos & ſubminiſtrandos neminem vidi paratiorem. Koenigsmannus ille ſuperiori Sæculo medio eloqventiam publice docebat in Academia Argentoratenſi, inſtituendis dextre tironibus, qvam libris ſcribendis, occupatior, nec exiguam inter eruditos nominis celebritatem conſecutus.

Vol. XLIIX.

complectitur varia critica & Politica, antiqvitati lucem fœnerantia, cum epiſtolis virorum doctorum apographis LXIIX. Legis ibi 1) *Joach. Camerarii, Qvæſtoris, opuſcula aliqvot*, nempe Erratum, ſive *ὑπὲρ πλάσματος*, &c. deſcriptum ex edit. Baſil. 1536. 2) *Junii Rabirii* libellum de generibus veſtium cum Latina & Gallica interpretatione ex ed. *Pariſ.* 1534. 3) Anonymi tract. de ſtatu Reipubl Romanæ, eruditum & luculentum. 4) Anonymi de Gallorum Marchia. 5) Nominum illorum, qvæ in Fabulis continentur, explicationem ſecundum literarum ſeriem. In margine legis: *Venet.* 1568. 4 Ex qvo conficio, ipſam illam explicationem una cum fabu-

fabulis qvibusdam, eo loco & anno lucem vidiſſe. 6) Seqvitur Index vocum Latinarum alphabeticus duplex, qvarum origo ex lingua Græca inprimis, interdum vero etiam Latina, oſtenditur, 7) Index vocabulorum linguæ Hebr. & Latinæ communium. 8) Index vocabulorum, qvæ linguæ Græca & Hebraica habent communia. 9) Index vocabulorum lingvæ Belgicæ & Hebr. communium. Non dubito, & hæc ex libro qvodam edito eſſe deſcripta, qvi tamen in tanta hujusmodi librorum copia me hactenus latet. Seqvuntur porro 10) Latinæ voces ab Græcis ſumtæ Deorum, hominum, & in homines cadentium, qvibus adduntur *verba* qvædam & *adverbia*; porro Latinæ voces, ab Etruſcis Syrisve petitæ, qvæ ad Deos Deasqve & homines pertinent. 11) Voces Belgicæ vel Germanicæ, qvæ hodieqve in lingua *Francica* ſuperſunt. 12) Nomina virorum & mulierum Italica inſolentia. 13) Nomina Perſica & Medica, itemqve aliarum gentium alia. 14) Vocabula Hiſpanica explicata, fortaſſe ex Bonaventuræ Vulcanii Theſauro utriusqve linguæ, qvi in limine citatur; porro vocabula qvædam Italica, Gallica & Teutonica ad origines ſuas revocata. 15) Stellarum nomina Arabica, Babylonica, Perſica, Græca, Latina.

Hæc

Hæc excipiunt epiſtolæ apographæ *Iſ. Caſauboni* ad *Jac. Bongarſium* XXXV. qvorum qvædam nondum exſtant, ceteræ autem cum editis conferri merentur; *Jani Gruteri* tres ad eundem; *J. Cratonis* ad Thom. Jac. à Clauſenburg; Senatus Norimbergenſis ad Regem Galliarum, & *Henrici Savilii* ad Comitem de Bellomonte. Proximæ his ſunt *Joſ. Scaligeri* una ad *Bongarſium*, nondum edita, qva *Georgium Syncellum*, a *Theophane* continuatum & in Bibliotheca Regia Pariſienſi exſtantem, ſua cauſa evolvi vehementer cupit; *Phil. Sidnei* tredecim ad *Hubert. Languetum*, qvæ conferri poſſint cum iis, qvas *Languetus* idem ad *Sidnæum* dedit, Francof. 1633. 12. vulgatas. Illas excipiunt ep. Senatus Argentinenſis ad Galliarum Regem, *Jo. Giphanii* ad eundem pro imprimendis *Huberti Giphanii* poſthumis, *J. Lipſii* ad *M. Velſerum*, *Lingelsheimii* ad Bongarſium, *Franc. Danielis* ad *Jo. Brodæum*, *Bongarſii* ad *Th. Seghetum*, & *J. A. Portneri* ad *Rob. Koenigsmannum*. Epiſtolæ hae omnes ſelectæ ſunt, & luce dignæ, qvam multæ earum nondum viderunt. Ultimam illam, ad *Koenigsmannum* datam, habes in eruditiſſimi *Schellhornii* Amœnitatibus Literar. Tom. XII. p. 640. Volumen hoc olim fuit *Matthiæ Berneggeri*, inde vero in Bibliothecam *Obrechtianam*, hinc denique cum plurimis aliis *Berneggerianis* in *Uffenbachianam* pervenit.

Vol.

exhibet *Wolfgangi Rychardi*, B. Luthero æqvalis, epiſtolas, ad eruditos ſuæ ætatis homines, nominatim etiam ad Zenonem, filium ſuum, & ab his ad *Rychardum* datas, nitideqve deſcriptas, inſertis etiam variis, iisqve elegantibus, *Rychardi* carminibus. Epiſtolæ ſunt omnino DLXXXIX. qvæ & dictionis nitore & rerum argumentis ſe commendant. Dici non poteſt, qvam multa & præclara illis contineantur, qvæ ad hiſtoriam illorum temporum Eccleſiaſticam & literariam qvoqve illuſtrandam faciunt. Exemplo fuerint illæ, qvas ad *Jo. Magenbuchium* datas ex codice MS. Rev. & Clariſſ. *Schellhornius* in Amoenitatibus Literariis, vere talibus, Tomo I. p. 290. ſqq. p. 507. Tomi II. exhibuit, ibidem p. 292. teſtatus, integrum ejusmodi epiſtolarum volumen manu exaratum ſecum communicatum eſſe à Rev. *Chriſtiano Erharto*, oraculorum divinorum in Eccleſia Memmingenſi Interprete. Illæ vero omnes exſtant in hoc codice meo, ex qvo deſcriptæ videri poterant, niſi hinc inde varietates qvasdam obſervaſſem. Ita v. c. p. 296. ita legis: *Obviis in manibus tuas humaniſſimas excepi literas.* Rectius ἀπόγραφον illud meum ita: *Obviis manibus tuas* &c. Ibidem p. 290. *Richardus* ſcribit *Magenbuchio*: *Auſus tandem fui tuo ſvaſu meis inceptiis*

eptiis Lutheri & Melanchthonis aures dignissimas obtundere. Mitto tamen epistolas ambas ad te &c. Commode inter meas illas n. 480. invenio eam, qvæ ad Lutherum data est 3 Kal. Martias an. 1523. & qvam heic puto respici. Habe eam:

Audaculum me reddidit Magenbuchius: qvi sæpius mihi prædicavit tuam facilitatem, qva soleas etiam omnes pusillos, ad te scribentes, admittere, & tanqvam jocum animi causa succisivis horulis ex omni terrarum urbe varias ad te datas epistolas pellegere. Qvo factum est, me in præsentia animosiorem, vel ut verius loqvar, importuniorem meis literis felicibus tuis studiis stropham interponere. Nam me hercle, qvid aliud comminiscuntur, qvi suis scriptis te interpellant, qvam qvod tempus fusfurantur tibi, melioribus collocandum conatibus. Abutar tamen comitate tua, &, ne longis ambagibus qvæstionem meam procrastinem, velim per meam fidem certior abs te fieri, qvid interst inter regnum Dei Patris, qvod in Evangelio his, qvi bona opera sunt, pollicetur; & justificationem, qvam Paulus fidei, nullis intercedentibus operibus nostris, tanqvam veram gratiam gratis dari affirmat. Qva de re Hieron. Candelphium, cum mihi adhuc vicinus erat, conveni, qvi & Christiane & sapienter respondit, veruntamen sublimitate sermonis & philosophia sua ex dubitante me totum reddidit ignarum: jussit te perinde atqve oraculum adire. Testor Magenbuchium, cui mea erga te observantia cognita est, moresqve apricissimi, nihil me

faba-

fabarum cudere. Itaqve, mi charisſime Pater in Chriſto, tibi acceptam refero omnem animæ meæ ſalutem. Gratia igitur ſit Deo omnipotenti, unde hæc ſunt. Velis itaqve unico verbulo reſcribendi argumentum Magenbuchio dictare, qvo mea ſanetur ignorantia. Vale in Domino noſtro Jeſu Chriſto, qvi ut nobis te dedit verum Heliam, fidei inſtauratorem; ita dignetur te pro noſtra ſalute & ſua laude perpetuo ſua gratia indigitare. Ex Ulma.

Exſtat & alia ad *Lutherum* ejusdem n. 460. ſine die annove data, qva teſtatur, *ſe* eum *per hoc epiſtolium inviſere, qvi corporea præſentia hactenus non poſſit.* Seqvitur n. 465. alia, *Martino* ſimpliciter inſcripta, ubi manus priſtini Poſſeſſoris *Lutheri* nomen addidit, falſus omnino. In ea enim ſignificat, ſe cum *Martino* hoc nuper *contendiſſe, opera noſtra, qvæ facimus adipiſcendæ gratiæ cauſa, fruſtranea eſſe, & Pauli auctoritatem adduxiſſe, neqve tamen locum indicare potuiſſe, in qvem nunc cap. IV. ep. ad Romanos fortuito inciderit.* Hæc in Lutherum non qvadrare facile qvisqve intelligit. Itaqve referenda eſt hæc epiſtola ad *Martinum Edelhuſerum*, ad qvem paulo poſt n. CCCCLXX. alia occurrit.

Ceterum ex epiſtolis ad *Wolfg. Richardum* noſtrum, qvi ſe freqventer in ſuis *Vulcanum* ſimpliciter appellat, datis, apparet, eum Geislinga fuiſſe oriundum & Medicinæ Doctorem, civitatisqve Ulmenſis

Phyſicum egiſſe. Cl. *Schelhornius* l. c. p. 291. recte appellat *virum egregie doctum & elegantem carminum ſtruendorum artificem, inter primos* præterea, *qui Ulmæ Evangelicam lucem, Luthero miniſtrante orbi reſtitutam, avidiſſime ſint exoſculati.* Qvanti eum *Urbanus Rhegius* fecerit, patet ex tribus epiſtolis ad ipſum ſcriptis, qvas Bibliothecæ Bremenſi Claſſ. VI. p. 1013. ſq. inſertas leges.

Vol. L.

tradit epiſtolas apographas L. D. *Jo. Valent. Andreæ*, Theologi Wurtenbergici egregii, ad *Hieron. Imhoſium*, Ephorum qvondam Principum Juventutis Gvelferbytanorum, datas, qvæ omnes ſcriptæ ſunt intra annos 1649-1652. Accedunt illis ſeptem *Imhoſii* hujus reſponſoriæ. Deſcriptæ illæ ſunt ex autographis.

In ep. XXXIV. hæc lego: *Qvem apud nos* Wolfgangam Gemmingum *qværis, ego nullum novi. Qvid vero mihi cum ea familia rei olim fuerit, ex meis* Memorabilibus, *Bibliothecæ Auguſtæ* (i. e. Gvelferbybanæ) *illatis, ubi* Eberhardi Gemmingii *iuſta peregi, diſces. Eſt ea ut antiqviſſima, ita opulentiſſima & potentiſſima ex noſtris Nobilibus per Kerichgoiam cum pluribus aliis diſperſa, nunqvam in multos ramos diſſecta, etiam religione disjuncta, habetqve hoc genuinum, modeſtiam & eruditionem. Avita ſedes omnibus fuit arx montana*, Burg. *Nunc diverſæ*

ſunt

sunt ædes numerosissimæ & splendidissimæ, nisi quas bellum contrivit, multum in iis locis saeviens.

In ep. XLIX. ita scribit: *Collegi familiæ Polycarpo-Lyserianæ genealogiam, cujus propagines & surculos jam fere omnes habeo, præter Amplissimi D.* Polycarpi Heilandi *vestri, fautoris & cognati mei colendissimi, sobolem, quam ut vel ex ipso, si sit domi, vel domesticis ejus, exquiras, & ad me referas, vehementer oro.*

Altero loco occurrit narratio *Processus*, quem vocant, in causa *Casimiri Liszynski*, Poloni Athei, germanica, ex Actis deducta. Confer, si placet, de hac causa Pantheon Anabaptist. & Enthusiasticum, & præstantissimi *Maturini Veissiere la Croze* dialogos, Gallice, sub tit. *Entretiens* editos p. 418. sqq.

Tertio loco exstat *Anonymi* succincta & erudita designatio, gallice scripta, virorum eruditorum, qvi Sæculo XVII. in variis Europæ partibus claruerunt, usqve ad annum circiter 1690.

Calcem occupat *Anonymi* commentatio itidem Gallica, qva delineatur opus historicum de *Genealogia Sabaudica* per VII. sæcula florente, & judicium fertur de præcipuis, qvi huc pertinent, Scriptoribus.

Vol. LI.

constat foliis 324. & epistolas bene multas continet, ad varii generis eruditos inde ab anno 1607, usqve ad an. 1626. scriptas.

Scriptoris nomen nusqvam vidi expressum, qvem tamen *Simonem Toelmannum* esse, duobus argumentis exploratum habeo. Alterum est carmen ἐπιτάφιον in *Marcum Velserum*, Reip. Augustanæ qvondam Duum virum, qvod in hoc volumine exstat p. 125. subscriptis literis nominis initialibus S. T. P. D. i. e. *Simon Toelman*, *Pomeranus*, *Doctor*. Idem vero carmen excusum exstat in limine *Manium Velserianorum*, qvi Norimbergæ cum operibus Velseri an. 1682. fol. Tom. I. recusi exstant. Qvem qvidem locum sibi præter meritum tributum fuisse pro modestia sua testatur *Toelmannus* in epistola ad H. Remum an. 1615. data, qvæ p. 248. legitur. *Amphidoxum*, inqvit, *occurrebat, allatis modo Illustriss.* Velseri τοῦ Μουσάρχου Manibus, *expostulare proclivius foret an gratias agere: qvippe honorificum fuerat abunde, vel postremissimum, ut cum Graccho loqvar, inter literatos censeri, præsertim Poetas, cum, qvi Parnassi lympham nec oculis, nec ore hausit, cum ecce primo ordine se locatum reperit, qvi ne suspicatus qvidem erat, qvo tempore threnos, vernacule* (thränen) *intelligendo, super obitu illius* γνησίως *fundebat, elegiam istam vulgatum iri. Qvererer invidiæ nomen expositum ob* πρωτοκλισίαν, *a Servatore qvoqve nostro damnatam, nisi qvotidiani experimenti freqventia adversus hujusmodi* πάθος *jampridem animus callum obduxisset.* Alterum argumentum nascitur mihi

ex

ex manu *Toelmanni*, cujus habeo epiſtolas qvasdam alias αὐτογράφους, qvæ eosdem, qvas in his agnoſco, ſcripturæ ductus clare referunt. Ex qvo etiam conjectura fit, τὸν μακαρίτην epiſtolas illas omnes in hoc volumen ante conjeciſſe, qvam ad amicos mitteret. Vir optimus, & literarum gnariſſimus Straleſundam patriam habuit, per vitam deinde ſuam conſiliarii & Advocati in Republica Auguſtana, deniqve vero inde ab an. 1621. Profeſſoris Juris publici, in Academia Roſtochienſi, muneribus dextre & cum laude perfunctus. Vita ejus itinera & merita copioſius ediſſeruntur in Programmate, qvo inauguratio ejus ad munus Profeſſorium publico nomine indicta eſt Roſtoch. 1621. d. 24. Maji. In epiſtolis his multæ inprimis ad JCtos, *Marcum Velſerum*, *Georg. Remum*, *Lingelsheimium* &c. tum vero ad Theologos, *Balthaſ. Meisnerum*, *Conr. Kircherum* &c. leguntur & varia continent, ad hiſtoriam eccleſiaſt. & literariam illius ætatis perſpiciendam. Dolendum eſt, in calce voluminis nonnulla, neſcio qvo conſilio, qvave injuria, reſciſſa eſſe. Prima epiſtola an 1607. ad *Conr. Kircherum* ſcripta eſt, cui gratias agit pro transmiſſo ſibi Concordantiarum Græcarum exemplo, optatqve, ut, diſtractis hujus editionis exemplaribus, nova in folii forma paretur, additis Concordantiis

N. T. *qvas*, ita pergit, Henr. Stephanus *ob unius voculæ ἀβουλέομαι errorem, omisso prorsus primi auctoris & elaboratoris* D. Betuleji *nomine, sibi vindicatas magno suo emolumento dedicavit, qvasi à se primum plene editas, cum tamen etiamnum supersit, qvod in iis desideretur.* Vult item, ut sibi indicet, ubi & qvando *Concordantiæ Hebraicæ*, qvarum in præfatione sua mentionem fecerit, prodierint, sibi ideo comparandæ, qvod non ita dudum horis succisivis αὐτομάτως ἑβραΐζειν cœperit. Epistolæ, qvas ad *Velserum* scripsit freqventes, Græcarum literarum & antiqvitatis notitiam insignem spirant. In exemplum accipe seqventem, ad *Velserum* an 1608. 30. April. datam:

Pietatis loca in Jure his fere nominibus appellantur: Ecclesiæ, xenones, monasteria, orphanotrophia, gerontocomia, ptochotrophia, nosocomia, trophotrophia, *L. illud 9. l. sancimus 22. C. de Sacros. eccles. Quorum imitatione videtur domus publica, sublevandæ pauperum miseriæ pecuniariæ destinata, non inconcinne* Chrestocomium *vel* χρεωςοκομεῖον *indigitari posse. Nam Chrestas vulgari usu significare debitores, eosdemqve ab Atheniensibus* χρεώςας *dici solitos, testatur Scholiastes Aristophanis in* Νεφέλ. *Act. I. Scen. 3. ita ut* chrestocomium *sit ipsissimus locus, ubi debitoribus subvenitur, & cura exhibetur.* κομέω *enim curam gerere significat: unde* gerontocomium, *ubi senes curantur;*

noso-

nosocomium, *ubi ægrotantes*; pædocomium, *ubi pueri*; xenocomium, *ubi peregrini. Aut, si magis placet ab ipsa re seu præstatione nummaria locum denominare, in promtu vocabulum est chrematisterion* (χρηματιστήριον) *locus officinæ numulariæ, qvo plurimi auctores Græci utuntur in ista significatione, prout vulgare est,* χρήματα *pro numis vel pecuniis accipi. Et potest generalitas vocabuli facile restringi adjecto aliqvo, veluti pauperum, inopum, egenorum &c. ne qvis suspicetur, esse officinam numariam pro omnibus pecunia indigentibus. Denique &* danisterium (δανειστήριον) *puto recte appellari posse, addito epitheto pietatis. Nam* δανειστὴς *& mutuo dantem & accipientem denotat: & licet, apud profanos auctores, frequentius pro foeneratore usurpetur; tamen in sacris literis attribuitur etiam piis & justis Ps. 36. v. 27.* ὅλην τὴν ἡμέραν ἐλεεῖ καὶ δανείζει ὁ δίκαιος, καὶ τὸ σπέρμα αὐτὸ εἰς εὐλογίαν ἔσαι. *Ubi Latinus interpres verbo commodandi usus est. Et pleni sunt Græcorum libri ejusmodi verbalibus in* terium (τήριον) *qvibus locum designant, velut* baptisterium, dicasterium, monasterium, asceterium, acroaterium, piraterium, hestiaterium, hebeterium, buleuterium, phylacterium, basanisterium, alipterium, sphæristerium &c.

Seqvens epistola, eidem inscripta, exponit de pane in Jure memorato, in qvo *panum civilium* mentionem fieri negat. Sed manum de tabula.

amplum eſt, & variorum epiſtolis autographis & apographis refertum. Inter autographas primum locum tuentur illæ, qvæ ad *Jo. Brunsmannum*, Theologum Hafnienſem, & Ptochotrophii Eccleſiaſten (de qvo ſupra ad Vol. LXVII. in fol. diximus,) ſunt exaratæ, num. LXXII. Tales ſunt v. c. *Pet. Axenii*, Philologi Holſati, multæ, *Th. Bartholini, D. Bircherodii, Henr. Burchardi, Jo. Fechtii, Fleiſcheri, Aug. Herm. Franckii, Chriſt. Kortholti*, multæ, *J. H. Maji, G. H. Maſii, Jo. Moelleri*, Rectoris Flensburgenſis, *J. H. Michaelis, Jo. la Placette, Adami Rechenbergii, Frider. Roſtgardi, Dan. Sever. Sculteti.* &c.

Illas ſeqvuntur epiſtolæ, itidem autographæ, num. XCI. maximam partem ad *Jo. Burchardum Majum*, Profeſſorem qvondam Kilonienſem, qvædam vero ad *Henr. Muhlium*, Theologum itidem Kilonienſem, exaratæ. Inter has ſunt *Juſt. Chriſtoph. Böhmeri*, Profeſſoris qvondam Helmſtadienſis, deinde Abbatis Luccenſis, D. *Jo. Fechtii, Georg. Franci de Franckenau*, Archiatri Regii Hafnienſis, *Jo. Henr. Maji*, fratris, ad ipſum illum, *Jo. Georg. Pritii, Jo. Chriſtoph. Rumetſchii.*

Has excipiunt apographæ variorum, ad *Steph. Clotzium*, Antiſtitem olim in Holſatia Danica, nominatim *Jo. Conr. Dannhaueri, Jo. Georg. Dorſchei, Jo. Hulſemanni, Menonis Hanne-*

Hannekenii, Abr. Calovii, Cæleſt. Mislentæ, Jo. Botſacci, Juſti Feuerbornii & Aug. Varenii. Porro nonnullæ ad P. M. Schlegelium D. Medicum Hamburgenſem puta *Jo. Rhodii, Gverneri Rolfinckii;* hinc *Jo. Caſelii* qvædam ad Kirchmannum & alios, *Frider. Lindebrogii* ad *Pet. Puteanum, Freder. Morellum* & *Nic. Rigaltium,* & *Iſaaci Voſſii* ad Lindenbrogium. Has ſeqvuntur nonnullæ Theologorum veteris memoriæ, *Melanchthonis, Mart. Kemnitii*, aliqvot, *Pauli Tarnovii*, nonnullæ, *Dan. Crameri* plures, *Andr. Oſiandri, Jac. Stolterfothi, Sigiſm. Schererzii, Barthol. Batti, Frider. Balduini, Jo. Hopneri,* Theologi Lipſienſis, &c. Harum pleræqve ad *Lucam Bacmeiſterum* ſcriptæ ſunt, qvarum αὐτόγραφα ſervat Rev. Collega meus *Bern. Raupachius.*

Poſt has legis nonnullas ad D. *Matthiam Hoe ab Hoenegg*, Theologum Saxonicum datas, nominatim *Frider. Balduini, Jac. Martini, Jo. Gerhardi, Polycarpi* & *Wilhelmi Lyſerorum.*

In ſeqventibus exſtant *Hermanni Conringii* qvædam ad *Conr. Sam. Schurzfleiſchium, Phil. Jac. Speneri*, & *Hermanni Hardtii.* Summa earum conficit CXIV.

Dabo ex his unam à B. *Matthia Hoe* ad Sereniſſ. Regis M. Britann. Legatum, tum temporis Dresdæ commorantem, an. 1613. 3. Auguſti ſcriptam:

Ad hanc usqve diem, Generoſe Vir, Domine honorande, qvod animus qvotidie & ſingulis ferme

horis deliberabat, distuli. Scribere enim, & literarum affatu salutare te volui, ob causam satis gravem, & tanti omnino momenti, ut nec occupatissimo tibi diutius parcere potuerim. Oro autem abs tua Dominatione, ut consilium meum recte interpreteris. Famam enim res concernit ista, & existimationem meam publicam, quam, nisi extreme crudelis sim, negligere non ausim. Meministi, cum Dominica in Albis in conclave tuum vocarer, quæ tunc inter nos tum de ingressu Christi ad discipulos, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, tum de aliis quoque disputatio fuerit: nihilque minus metuebam, quam ut ex hoc colloquio dica mihi pasim scriberetur, quasi turpissime confusus & convictus a conspectu tuo discedere debuerim. Appello enim conscientiam tuam, num res ita se habeat? & num de tanta victoria gloriari queas? Vix, si vir bonus es (esse vero te eum statuo) vix, inquam, affirmabis, nec unquam vere quisquam affirmabit. Interim pasim proclamor pro eo, qui ad instantias obmutuerit, qui objecta tua puerilia & trivialia argumenta solvere nequiverit, qui disgratiam Principis Electoris hoc nomine incurrerit, qui de asserenda concione sua prorsus desperaverit, &, quæ hujusmodi sunt alia. Sic Berolini, sic Halæ, sic Vitebergae, sic Pragæ, sic alibi sparsum, dictum, scriptum. Et hinc tantum apud Sacramentarios multis in locis exstitit tripudium. Etsi vero hactenus non defuissent, neque adhuc deessent legitima vindicandæ existimationis & confessionis adserendæ media, volui tamen, cum præscitu Sereniss. Electo-

ris

ris mei, Domini mei Clementissimi, hac epistola abs tua Dominatione percontari: num, te volente, sciente, approbante, jubente; an vero Te nolente, ignorante, talia spissa & crassissima mendacia spargantur? Nisi enim rumor falsissimus remiserit tum Sereniss. Electoris Saxonici reputatio, & mea qvoqve professio & confessio plane reqviret, ut sycophantæ anonymo, qvicunqve ille fuerit, os improbum oppiletur, & contundatur. Tuarum vero tunc, Generose vir, erit partium, conjunctis viribus, veritati & innocentiæ meæ perhibere testimonium, & suppetias ferre, cum omnium eorum, qvæ inter nos dicta & acta, auditor & spectator fueris. Bene in Domino vale, & tribus, ut dicitur, verbis haud gravatim responde.

Vol. LIII.

in forma octavi ordinis, foliorum 39. habet excerpta ex epistolis *Marci Velseri*, ad *Marqv. Freherum*, *Gothofredi Jungermanni* ad *G. M. Lingelsheimium*, & clarorum virorum ad *Dav. Hoeschelium*. Specimina ex his luculenta legis apud doctissimum *Heumannum*, in Poecile Tomo I. p. 548-584. Non vanus eqvidem suspicor Excerpta hæc fuisse olim apud Matthiam Berneggerum vel ab ipso vel ab alio, nescio qvo, parata. Volumen enim hoc certa qvædam habet indicia, qvæ etiam in aliis *Berneggerianis* libris, in hac ipsa supellectile obviis, reperiuntur.

Vol.

Vol. LIV.

exhibet *Julii Cæsaris Scaligeri* epistolas & orationes, Lugd. Batav. apud Christoph. Raphelengium an. 1600. 8. editas una cum *novendecim* ejusdem, manu exaratis, qvas *Josephum*, filium, qvod earum nonnullæ nimis amarulentæ viderentur, suppressisse in limine earum monetur. Enimvero tres inter illas ipsas, nempe I. & III. *Carolo Sevino* inscriptæ, & XIX. ad *Jac. Omphalium* data, inter *J. C. Scaligeri* editas leguntur p. 81-85. & p. 302. Sedecim reliqvæ in lucem ex hoc ipso apographo prolatæ sunt à *J. G. Schellhornio*, rerum elegantiorum promocondo, in Amœnitatibus Literariis Tomo VI. p. 508. sqq. & Tom. VIII. p. 554. Itaqve nunc habes omnes, qvæ a Scaligero filio suppressæ fuerant, qvam in rem lege *Scaligerana*, Hagæ Comitum an. 1669. edita, p. 101.

VOLUMINA LV. -- LXII.

comprehendunt epistolas, easqve ex pluribus selectas, qvas ipse ego a viris varii generis ordinisqve eruditis inde ab anno 1704. ad præsentem usqve accepi. Illas secundum literarum, qvas Scriptorum cognomina referunt, seriem, habita simul temporis, qvo plures earum a singulis exaratæ sunt, ratione, collocavi. Ita

Vol. LV.

pertinet ad literas A. B. Epistolæ sunt

CCLXIII.

CCLXIII. profectæ, ut potiores commemorem, a *J. G. Abichtio*, Theologo nunc Wittebergenſe, *Jo. Henr. Ackero*, *Jo. Alberti*, Theologo Harlemenſi, cujus ſunt *decem*, *Matthia Ancherſen*, Epiſcopo nunc in Dania Ripenſi, *Carolo Arndio*, Profeſſore qvondam Roſtochienſi (epp. *ſeptem*) *Joſepho Simonio Aſſemano*, Syro Maronita, Lingvarumqve Syriacæ & Arabicæ in Bibliotheca Vaticana Scriptore, *Henr. Jac. van Bashuyſen*, *Jac. Basnage*, *Theoph. Sigefrido Bayero*, Profeſſore in Academia Petropolitana, (epp. *qvindecim*) *Erico Benzelio*, Epiſcopo in Svecia Lincopienſi, (epp. *quatuor & viginti*) *J. H. Berckenmeyero*, Paſtore Eccleſiæ Evangelico Lutheranæ in tractu Indiæ Occidentalis Neo Eboracenſi (epp. *viginti*) *Frider. Jacobo Beyſchlagio*, V. D. Miniſtro in Svevia Halenſi, *Gvilielmo Berrimano*, Theologo Anglo, *F. G Bierlingo*, Profeſſore qvondam Rintelenſi, *Juſto Chriſtophoro Böhmero*, Abbate olim Luccenſi, (epp. *duodecim*) *Chriſtiano Frider. Boernero*, Theologo Lipſienſi primario, *Lamberto Bos*, Profeſſore Franeqverano, *Ludov. Bourgveto*, *Petro Adolpho Boyſen*, *Henrico Brakero*, Paſtore olim ad D. Nicolai Flensburgenſi, (epp. *ſexaginta*) *Jac. Bruckero*, Theologo in Svevia Kaufbyrenſi, (epp. *decem*) *Jo. Ludolpho Bunemanno*, Rectore Athenæi Mindenſis, *Petro Burmanno*, Profeſſore Leidenſi, (epp. *qvindecim.*)

Vol

Vol. LVI.

refert eos, qvorum nomina ad literam C. ſpectant. Habes heic epiſtolas CCXCVI. nominatim *Jo. Henr. Callenbergii*, Profeſſoris Halenſis, *Franc. Dionyſii Camuſati*, Galli, Academiæ Scientiarum Burdigalenſis qvondam Socii (epp. *octo*) *Pet. Carpentarii*, Ordinis Benedictinorum Monachi, *Jo. Gottlob Carpzovii*, Antiſtitis Lubecenſis, *Martini Chladenii*, Profeſſoris nuper Wittenbergenſis (epp. 26.) *Thomæ Clauſſenii*, Antiſtitis qvondam generalis in Holſatia Danica (epp. 25.) *Jo. Chriſtiani Clodii*, Profeſſoris Lipſienſis, *Jo. Chriſtoph. Coleri*, Concionatoris aulici apud Ducem Vinarienſem, (epp. 12) *Gottlieb Cortii*, JCti nuper & Philologi Lipſienſis, *Sam. Crellii*, *Maturini Veyſſiere La Croze*, Antiqvarii & Bibliothecarii Regis Borusſiæ, (epp. 164.) *Magni Cruſii*, Theologi hodie Goettingenſis, & *Salomonis Erneſti Cypriani*, Theologi Gothani.

Vol. LVII.

literas D. E. F. G. perſeqvitur. Epiſtolæ ſunt CCXXIII. qvæ debentur *Theod. Daſſovio*, Theologo Holſato, *Salom. Deylingio*, Antiſtiti & Theologo Lipſienſi, *Jac. Philippo Dorville*, Profeſſori Athenæi Amſtelodamenſis (epp. 44.) *Jo. Georgio Eccardo*, Regis M. Britanniae qvondam Hiſtoriographo & Bibliothecario, *Seb. Edzardo*, *Jo. Herman.*

Els,

Elswichio, Paſtori olim Stadenſi, *Jo. Helwichio Engerero*, V. D. Miniſtro Swobacenſi, (epp. 15.) *Jo. Alberto Fabricio*, *Franciſco Fabricio*, Theologo Leidenſi, *Chriſtiano Falſtero*, *Alberto Feldenio*, Theologo qvondam Kilonienſi, *Jac. Wilhelmo Feuerlino*, Profeſſori Altorfino, *Jo. Gagnerio*, Lingvæ Arabicæ Lectori Oxonienſi, *Juliano Garnerio*, Monacho Benedictino, Pariſienſi, *G. C. Gebauero*, JCto hodie Gœttingenſi, *Danieli Gerdeſio*, Theologo Duisburgenſi, *Henr. Walthero Gerdeſio*, Evangelii præconi in cœtu Evangelico Lutherano Londinenſi, (epp. 15.) *Georg. Henr. Goetzio*, Antiſtiti olim Lubecenſi, *Jo. Erneſto Grabe*, *Joanni Grammio*, Profeſſori Hafnienſi, (epp. 40.) & *Abrahamo Gronovio*, Philologo Leidenſi.

Vol. LVIII.

ad literas H & I ſpectat. Scriptores epiſtolarum CCIV. ſunt *Joſephus Hallett*, Anglus eruditus, *Jac. Haſæus*, in Athenæo Bremenſi qvondam Profeſſor, *Theodorus Haſæus*, frater, & ibidem Profeſſor, (epp. 20) *Eberhardus David Hauber*, Antiſtes Stadthagenſis, *Sigebertus Havercampus*, Profeſſor in Academ. Leidenſi (epp. 25) *Thomas Hearne*, Antiqvarius Oxonienſis, *Tiberius Hemſterhuis*, Profeſſor hodie Franeqveranus, *Franc. Heſſelius*, *Chriſtoph. Auguſtus Heumannus*, Profeſſor in Academia Goettingenſi, *Jo. Georg. Hoch-*

Hocheiſen, Profeſſor qvondam in Gymnaſio Vratislavienſi, *J. C. S. Hoelling*, Antiſtes nuper Alfeldenſis, *Jo. Hudſonus*, Protobibliothecarius Bodlejanus, *Dan. Erneſtus Jablonski*, *Paulus Erneſtus Jablonski*, filius, Theologus Francofurtanus, *Jo. Wilh. Janus*, Theologus nuper Wittebergenſis, *Hector Adrianus Janſſon*, Antiſtes olim Oldenburgenſis, *Stephanus Jebſen*, Paſtor qvondam ad D. Mariæ Flensburgenſis (epp. 30.) & *Conradus Ikenius*, Profeſſor in Athenæo Bremenſi (epp. 18.)

Vol. LIX.

ad literas K. & L. ſpectans ſiſtit epiſtolas CXCVIII. *Wigandi Kahleri*, Theologi hodie Rintelenſis, *Georg. Jac. Kehr*, Linguarum Arabicæ & Turcicæ Interpretis Petropolitani, *A. W. Kirchhofii*, Præpoſiti Itzehoenſis, *Henr. Klauſingii*, Theologi Lipſienſis, *Jo. Danielis Kluge*, Profeſſoris Theologi in Gymnaſio Tremonienſi, *Michaelis Chriſtiani Knoll*, Verbi Divini præconis in tractu Neo Eboracenſi Indiæ Occidentalis, *Jo. Davidis Kœleri*, Profeſſoris Gœttingenſis, *I. P. Kohlii*, Profeſſoris qvondam in Academia Petropolitana, *Gothofredi Kohlreifii*, Præpoſiti Raceburgenſis, *Ludolphi Kuſteri*, *Io. Gottlieb Krauſii*, Profeſſoris hodie Wittebergenſis, *G. G. Kuſteri*, Philologi Berolinenſis, *Chriſtoph. Auguſti Læmmermanni*, JCti Norimbergenſis, *Chriſtophori Langhanſen*, Profeſſoris Theologi Regiomontani,

montani, *Io. Henr. Lederlini*, Profeſſoris in Academia Argentoratenſi, *Gottlob Lehmanni*, Paſtoris primarii, in Holſatia Crempenſis, *Godofredi Guilielmi Leibnitii*, *Guilielmi Frider. Lentilii*, *C. P. Leporini*, Doctoris Medici, *Auguſt. Leyſeri*, Anteceſſoris Wittebergenſis, *I. G. Liebknecht*, Theologi Gieſſenſis, *Severini Lintrupii*, Theologi qvondam & Concionatoris Aulici Hafnienſis (epp. 36) *Iac. Hieronymi Lochneri*, Rectoris Athenaei Bremenſis, *Valentini Erneſti Loeſcheri*, Antiſtitis Dresdenſis, (epp. 20.) *Iacobi le Long*, Bibliothecæ Oratorianæ Pariſienſis Cuſtodis, *Io. Iuſti Loſii*, & *Polycarpi Lyſeri*, Antiſtitis qvondam Cellenſis.

Vol. LX.

epiſtolarum eſt CCLXXII. ex literis M ad S. qvas ſcripſerunt *Scipio Maffejus*, Illuſtris Marchio, *Io. Henr. Majus*, filius, Profeſſor nuper Gieſſenſis, *Aaron Margalitha*, Ex Judæus eruditus, *W. H. de Marſelis*, Belga doctus, *Io. Benjamin Martini*, Archidiaconus Ohrdruſienſis, de Mauclerc, Concionator Aulicus Sedinenſis, *Gerh. Meier*, Antiſtes olim ſacri cœtus Lutherani Bremenſis, *Io. Burchardus Menckenius*, Profeſſor olim Lipſienſis, (epp. 30) *Balthaſar Menzerus*, M. Britanniæ Regi a Conſiliis Eccleſiaſticis, (epp. 18) D. *Io. Meyerus*, Profeſſor olim Harderovicenus.

D. *Jo. Henr. Michaelis*, Theologus Halenſis, *David Millius*, Theologus Trajectinus ad Rhenum, *Jo. Moellerus*, Rector qvondam Athenæi Flensburgenſis, *Bernhardus Montefalconius*, Ordinis Benedictinorum ex Congregatione S. Mauri (epp. 8.) D. *Jo. Laurent. Mosheimius*, Theologus Helmſtadienſis (epp. 12) *Nicol. Nonnen*, Profeſſor hodie in Athenæo Bremenſi, D. *Henr. Opitius*, Theologus qvondam Kilonienſis, *Joſias Henr. Opitius*, filius, & *Paulus Frider. Opitius*, filius, Profeſſor hodie Kilonienſis (epp. 13) *Franc. Oudendorpius*, Rector Gymnaſii Harlemenſis, *Philippus Ouſeel*, Profeſſor olim Francofurt. ad Viadrum, *Samuel Parkerus*, Oxonienſis, D. *Chriſtoph. Matthæus Pfaffius* Cancellarius Academ. Tubingenſis, (epp. 18) D. *Henr. Pippingius*, D. *Io. Iac. Qvandt.* Theologus Regiomontanus, *Georg. Raphelius*, Antiſtes Luneburgenſis, *Bernhardus Raupach*, *Herman. Samuel Reimarus*, *Laur. Reinhardus*, *Hadrianus Relandus*, D. *Chriſtian. Reuterus*, Theologus olim Serveſtanus, hodie Jeverenſis, *Michael Roſſal*, Profeſſor Groninganus.

Vol. LXI.

ad literam S. ſpectans epiſtolas habet CXCVIII. *Franciſci Salmonii*, Bibliothecæ Sorbonicæ Præfecti, *Jo. Sartorii*, Hungari, *Henr. Scharbau*, Paſtoris hodie Lubecenſis, *Gothofr.*

Gothofr. Balthaſ. Scharfii, Senioris hodie in Sileſia Svidnicienſis, (epp. 21.) *Io. Georg. Schellhornii*, Paſtoris hodie Memmingenſis, D. *Samuelis Schelgvigii*, & *Gottlieb Schelgvigii*, filii, *Jo. Andreæ Schmidii*, Theologi qvondam Helmſtadienſis, *Chriſtiani Schoetgenii*, (epp. 26) *Io. Frider. Schomeri*, D. *Georg. Frider. Schroecri*, Theologi hodie Wittebergenſis, *Io. Iacobi Schudtii*, Rectoris olim Francofurtani ad Mœnum (epp. 10) D. *Io. Gothofr. Schuparti*, Theologi qvondam Gieſſenſis, *Io. Conr. Schwartzii*, Directoris hodie Gymnaſii Coburgenſis, *Sigismundi Gottlob Seebiſchii*, *Io. Henr. von Seelen*, *H. C. Senckenbergii*, JCti nunc Gœttingenſis, *Iacobi Serenii* Præpoſiti in Svecia Nordcopienſis, (epp. 15.) *Nicol. Petri Sibbern*, *Ludov. Samuel. Siegmanni*, Paſtoris hodie cœtus Lutherani Archangelici, *Henr. Sike*, Profeſſoris olim in Academia Cantabrigienſi, *Stephani Soucieti*, ex S. J. Pariſienſis, *Iac. Staalköpfii*, Paſtoris cum maxime Wismarienſis, *Henr. Bened. Starkii*, *C. H. Starkii*, *Chriſtoph. Ludov. Stieglitzii*, & *Gvil. Surenhuſii*.

Vol. LXII.

epiſtolarum CXCII. qvæ a litera T ad Z producuntur. Scriptores præcipui ſunt *Io. Frider. Thomas*, Rector Suidnitienſis in Sileſia, D. *Gothofredus Thomaſius*, *Albertus Thura*, D. *Daniel Wilhelmus Trillerus*, (epp. 20)

Zach. Conradus ab Uffenbach, Conſul Francofurt. ad Mœn. (epp. 36) *Io. Vogt*, Paſtor hodie cœtus Evangelici Bremenſis, *Io. Volcmarus*, Senior qvondam Miniſterii Hamburgenſis, *Chriſt. Wilhelm. Vollandus*, Antiſtes hodie Mulhuſinus, *Herman. van de Wall*, D. *Jo. Georg. Walchius*, D. *Georg. Wallinus*, Theologus Upſalienſis, D. *Gottlieb Wernsdorfius*, (epp. 28.) *Io. Iac. Wetſteinius*, Baſileenſis, *Io. Chriſtoph. Wichmanshauſen*, *Io. Henr. Wolfius*, Rector Gymnaſii Gerani, *Andr. Chriſtoph. Zeller*, Wurtenbergenſis, *Guſtavus Georg. Zeltner*, & frater ejus, *Io. Conr. Zeltner*.

INDEX APPARATUS MS. IN FOL. qvi hiſtoriæ literariæ & librariæ inſervit.

Vol. I.

Anonymi collectanea ad hiſtoriam Literariam ſpectantia, qvæ de vitis ſcriptisqve doctorum virorum potiſſimum exponunt. Scriptorum nomina ſine ordine ſibi invicem ſuccedunt.

Vol. II.

complectitur Acta Fundationis Academiæ Hallenſis FRIDERICI III., Sereniſſimi Electoris Brandeburgenſis auſpiciis factæ, nominatim Privilegium ab Auguſtiſſimo Imperatore LEOPOLDO in hanc rem con-

conceſſum; porro ipſius Electoris literas & mandata varia ad hoc inſtitutum pertinentia, & inde ab an. 1691. ad 1693. ſcripta. Pleraqve illorum ipſius *E. Danckelmanni*, primarii tum temporis Conſiliarii, manu ſunt obſignata, atqve adeo authentica, vel ſaltem prima exempla, qvæ deinceps deſcripta ad manus eorum pervenerunt, ad qvos omnis hæc cauſa ſpectabat.

Seqvuntur *Acta Inqviſitionis* D. *Io. Georg. Simonis*, poſtea Profeſſoris Juris in Academia Halenſi, & *Io. Iuſti Sofens*, in puncto ſcortationis & intentatæ blasphemiæ, coram Senatu Academico Jenenſi & Præfecto Cappellendorfenſi. Conſtant illa plagulis 119. Accedunt epiſtolæ ad *I. G. Simonem* variæ, tum in hac cauſa, tum in vocatione ejusdem in Academiam Halenſem perſcriptæ. Ex qvo non præter rem colligas, omnem hanc collectionem ipſi *Simoni* deberi, qvæ deinde ad priſtinum Poſſeſſorem, *Uffenbachium* noſtrum, pervenerit.

Vol. III.

Marci Zuerii Boxhornii Chronologia præcipuorum univerſi orbis Imperiorum, regnorum, principatuum, rerumqve publicarum ortus, mutationes atqve occaſus deſignans, edita & continuata a *Dan. Hartnaccio*, Budiſſæ 1688. fol. Illa vero charta

pura est distincta, & variis annotationibus a B. *Christiano Kortholto*, Theologo qvondam Kilonienſi primario, locupletata, qvæ inprimis ad hiſtoriam literariam illuſtrandam conducunt.

Vol. IV.

Io. Valentini, Gymnaſii Francofurtani Rectoris, liber Viſitationum Scholaſticarum inde ab an. 1635. ad 1641. ex qvo ſtatus Scholæ, & conditio tum docentium, tum diſcentium, perſpicitur, una cum orationibus variis, vel a Rectore ipſo, vel a diſcipulis tempore examinis ſolemnis, recitatis. Ex libro ipſo patet, *Valentinum* dextre & fideliter muneris ſui partibus perfunctum eſſe, qvod ad laudem ſufficit.

Vol. V.

Catalogus ſat amplius Bibliothecæ *Huldrici Fuggeri*, qvam civitati Heidelbergenſi legavit, ſecundum literarum ſeriem, habita potiſſimum, pro more iſtius ſæculi, prænominum, qvibus Auctores uſi ſunt, ratione, diſpoſitus. Præmittitur inſtrumentum Notarii, cujus opera Proceres uſi ſunt an. 1570. ut conſtaret, qvi qvotve libri Bibliotheca illa, tunc temporis in æde Spiritus S. adſervata, continerentur. Ex ipſo hoc indice antiqviſſimarum editionum notitiam haurire licuerit. Hanc *Fuggeri*, qvi

in

in Inſtrumento Notariali ſemper appellatur *Fuckerus*, liberalitatem recte & præclare celebravit magnus *Thuanus* lib VIII. Hiſtor. in fin. ad an. 1584. cujus verba huc tranſcribere non pigebit. *Auguſtæ Vindelicorum*, inqvit, *natus, & gente inter Germanos clara notus, Pauli III. olim cubicularius, & poſtea Proteſtantium doctrinam amplexus, qvi veterum ſcriptis liberali ſumtu comparandis & evulgandis intentus, eaqve in re Henr. Scrimgeri, & doctiſſimi Typographi, Henr. Stephani, induſtria uſus, cum rem domeſticam negligere a gentilibus argueretur, patrimonii aviti amplisſimi adminiſtratione dejectus eſt; unde, mœrore contracto, in melancholiæ morbum incidit; qvo fere tota vita conflictatus eſt. Apud Fridericum III. Palatinum Heidelbergæ receptum ſibi delegerat, cui etiam Bibliothecam, fidum exilii ſui comitem, moriens legavit. Obiit* 18 *Kal. Qvintil. anno ætatis LVIII. Chriſti* 1584. De *Huldrico* hoc videbis *Teiſſerii* Additiones ad Elogia Thuanea, de integra vero gente *Pet. Baclium*, Tomo II. Dictionarii ſuo loco, & *Io. Chriſtoph. Wendleri* diſſertationem de meritis Reipubl. Auguſtanæ in rem literariam p. 46. Copioſiora vero dedit Rev. *Iac. Bruckerus*, nobis amicisſimus, in ſingulari commentatione de meritis illuſtris gentis *Fuggerianæ* in literas & literatos, cujus ſpem primo fecit in programmate Kaufbyræ an. 1732. edito. Illius ſummam habes in

Novis Literariis Lipſienſibus, vernacula lingua editis an. 1732. p. 708. qvemadmodum commentatio ipſa lucem vidit in der Abhandlung von den Verdienſten des Fugeriſchen Hauſes; Auguſtæ Vindelicorum 1734. 4.

Vol. VI.

Catalogus librorum *Petri Uffenbachii*, Philoſophiæ qvondam & Medicinæ Doctoris, & *Zach. Conradi Uffenbachii* proavi, ſecundum diverſas, qvas vocant, *Facultates* diſpoſitus, & foliis 134. abſolutus. Idem hic eſt, cujus exſtat *Theſaurus Chirurgiæ*, Francofurti 1610. editus.

Vol. VII.

B. *Martini Lutheri* dicta & facta memorabiliora, ab Anonymo qvodam coævo collecta, & foliis 264. abſoluta, ubi tamen folia, qvæ inde à fol. 151. ad 192. ſeqvi debebant, neſcio qvo conſilio, reſciſſa ſunt, qvemadmodum & in fine poſt fol. 264. qvædam deſiderantur, ſicut ab initio folia ſeptem deſunt. Collectanea hæc partim Latina partim Germanica lingua conſcripta ſunt. Collector videtur fuiſſe *Anton. Lauterbachius*, cujus collectaneis ad *Colloqvia* Lutheri *menſalia*, qvæ exſtant, concinnanda uſus eſt *Io. Aurifaber*. Hæc conjectura fulcitur p. 146. Ibi enim epiſtola

B. Lu-

B. Lutheri longior, ad *A. Lauterbachium* data, nec adhuc edita legitur. Initium ejus eſt : *Gratiam & pacem. Exſpecta dominum, viriliter age. Mi A. Lauterbach, ſi nulla eſſet tentatio, qvæ exerceret fidem Chriſtianorum, tu cogita, qvid futurum eſſet de Chriſtianis ſecuris, olioſis & voluptariis.* Finis eſt : *Salutat te mea Domina Kethe, & omnes noſtri.* In ora vero hujus epiſtolæ is qvi collectanea hæc antiqva manu deſcripſit, ad *Lauterbachii* nomen hæc legis : *a qvo ego nactus hæc collectanea.* Ibidem p. 125. b. provocatur ad Tom. I. *Colloqviorum* (Lutheri ſcilicet) in fine; & p. 251. a. poſt titulum, *Civitates*, hæc habes : *Hæc ſeqventia in primum Tomum ſeu volumen inſerenda poſt locum de regionibus & populis.* Collectanea ipſa ſub certos titulos ſunt redacta. Ita v. c. titulus primus eſt de *ritu depoſitionis* ; ſecundus de *Academia Vitebergenſi*, tertius de *Gradibus in ſcholis*, qvartus, *de parvulorum integritate, &c.*

Obiter hoc volumen evolventi occurrerunt multa, in *Colloqviis* editis exſtantia, nonnulla vero nova & ibi fruſtra qværenda, qvædam etiam hinc inde ab editis diverſa, & vel auctiora, vel breviora. Ita tres, qvos modo commemoravi, *tituli* eodem ordine in *Colloqviis* p. 428. ſq. exſtant, ſed ita, ut Latina maximam partem ſint, qvæ ibi Germanice leguntur, nonnulla etiam nunc contractiora, nunc longiora.

Eadem ratio eſt articuli de *Campano*, qvi legitur in *Colloqviis Menſalibus* p. 277. in hoc vero volumine, fol 11. maximam partem Latine. Adferam verba, ut conferri poſſint cum germanicis *Colloqviorum*. *Ille*, inqvit, *adhuc juvenis & inexercitatus incidit in graviſſimas qvæſtiones, arbitratus, ſe plus ſcire, qvam Lutherum, Pomeranum & Philippum, qvi tamen nullam ſenſit luctam, ideo plerophoriam ſeu certitudinem jactabat, dicens: ſe divinitatem Chriſti clarius exprimere, qvam ipſe Iohannes Evangeliſta, damnat me mendacem & Satanicum, qvia doceo, fidem infirmam indies in piis creſcere, & infirmitate & lucta procedere, ubi me ſub πληροφορίᾳ damnat dicens:* Als gewiß, als GOtt iſt, ſo gewiß iſt *Luther* ein teufliſcher Lügner, *qvia Chriſtiani debent eſſe certi & perfecti, qvem ſic definit, Chriſtianum ſanctum, bonum, juſtum non poſſe errare. Ita decipit miſerum vulgus, cum ita definire debuiſſet, Chriſtianum eſſe ſanctum, ſed miſerabilem peccatorem, afflictum, affectibus humanis ſubjectum. Sicut Paulus de ſe dicit: qvis liberabit me de corpore mortis hujus, & qvi hærebat in Epaphrodito. Campanus vero homines plane facit ſtipites & truncos, ut Stoici opinantur. Si talis fieri poſſem,* ſo wolt ich mich ſo bald zu viermahl laſſen täufen, *qvia nihil pugnæ in nobis haberemus, & certi ita eſſe poſſemus.* So wolt ich nicht ein Heller um die Predigt und *Sacramenta* mehr geben, denn ich dürffte ihrer nicht. *Sed abſit, hunc perditiſſimum Campa-*

num

nium ſpernendum cenſeo, & ſilentio reprimendum. Nam ſi contra illum ſcriberetur, audacior fieret: melius eſt, ut contemnendo reprimatur, & non proficiet ſuis opinionibus & auctoritate. Ideo Philippus ſuum dedit conſilium ſeu judicium, cum de arbore ſuſpendendum, qvod & Domino ſuo aſcripſit.

Poſt hæc, qvæ cum editis maximam partem conveniunt, in MS. multa leguntur germanice de erroribus *Campani*, ex libro qvodam ejus, contra Lutheranos ſcripto, excerptis. Illa deſunt omnia in editis, eorumqve loco fol. 277. tantum judicium de illo *Campani* libro generatim atqve in hæc verba legitur, ex qvibus edita illa hinc ſuppleri, hinc rectius intelligi poſſunt.

D. M. Lutherus (ita habent verba ſcripta) librum Campani legens, manu illius propria ſubſcripta, & Munſteri; cujus titulus erat, contra Lutheranos, & omnes, poſt Apoſtolos, miros & monſtroſos errores, Bucero mirante, dixit: Iſti peſſimi nebulones omnia ſua rigide & ſcelerate urgent, ſo doch GOttes Sachen ſo ſchwerlich gehen. Ich habe nun bey 29 Jahren. &c.

Hæc eo conſilio adferenda cenſui, ut intelligatur, hoc collectaneorum volumen utiliſſime cum editis comparari poſſe, ut alia ſuppleantur, alia emendentur, alia rectius intelligantur.

Ceterum ad hoc Lutheri de *Campano* judicium legenda ſunt ea, qvæ in Vita *Io. Cam-*

Campani hujus, Anti-Trinitarii, exſtant in Cl. *Schellhornii* Amœnitatibus Literariis Tom. XI. p. 1. ſqq. Vide inprimis p. 55. ſq. Diſtinguendus is probe eſt à tribus aliis, *Io. Campani* nomine gaviſis, de qvibus leges ibidem p. 4. ſqq. tum vero etiam à *Io. Anton. Campano*, Epiſcopo Aprutino, cujus vitam habes in limine Epiſtolarum & Poëmatum ejus, a B. *Io. Burchardo Menckenio* Lipſ. 1707. 8. editorum. De noſtro hoc *Campano*, Anti-Trinitario, exponit poſt *Sandium* in Biblioth. Anti-Trinitariorum p. 17 ſqq. præſtantisſimus *Georg. Guſtavus Zeltnerus* in notis ad Hiſtoriam Crypto Socinisſmi Altorfini p. 350. ſq. 370. & alias.

Vol. VIII.

Fundatio, leges, jura & privilegia *Collegii Sapientiæ* à FRIDERICO, Comite Palatino, & Duce Bavaro, an. 1535. Heidelbergæ inſtituti. Collecta & deſcripta omnia ſunt ab antiqva manu. Conferri de hoc argumento poterunt *Quirini Reuteri* Jubilæus primus Collegii Sapientiæ, qvod eſt Heidelbergæ, Heidelberg. 1606. 4. *Georg. Sohnii* oratio de fundatione & conſervatione Academiæ Heidelbergenſis, Hanov. 1607. & *Io. Henr. Hottingeri* oratio de eodem Collegio una cum ejusdem Notis de Heidelbergenſis Academiæ Origine &c. Heidelb. an. 1656. 4. in compendio autem *Fr. Lucæ*

Lucæ Helicon Europæus pag. 331. & 361. sqq.

Vol. IX.

Jo. Christoph. ab Uffenbach J.U. Lic. Vita Lutheri carmine heroico germanico descripta, pp. 347. Titulus est: Der letzte Elias und der Deutschen Prophet D. Martin Luther aus seinen theuren Schriften und anderer vortreflichen Männer Zeugnissen in teutschen Versen der Opitianischen Art gemäß, vorgestellet, mit beygefügten Historischen und Politischen, auch Genealog. und Chronologischen Anmerckungen, darinnen zu GOttes Ehren, und schuldigen Danck, auch zur Auferbauung des Nächsten und Gewisheit der wahren Christlichen Evangelischen Religion, das gantze Reformations-Werck, dergleichen sich seiter der Apostel Zeiten nicht zugetragen, mit Einmischung desjenigen, was in Politischen Welt-Händeln und ausser dem Heil. Römischen Reiche vorgegangen; wie auch des Heil. Mannes zu Trost bedrängter Christenheit von GOtt versehener Anfang, schneller Fortgang, Apostolische Lehr, Göttliches Leben, öffentliche und standhaffte Bekänntniß, erfolgter seeliger und anmuthiger Abschied aus diesem Leben, und dann seine volckreiche ansehnliche Begräbniß, denen boshaftigen Wiedersachern zur väterlicher Warnung, denen Einfältigen aber zu bessern Unterricht mit allen wahrhaften Umständen treulich erzählet, nnd gezeiget werden.

Pœma

Pœma ipsum constat paginis 238. Seqventes vero usqve ad finem continent annotationes diffusiores, qvemadmodum breviores & magis necessariæ ad oram ipsius carminis sunt consignatæ.

Præmittitur operi explicatio *tituli* rhythmica; hanc seqvitur Dedicatio itidem rhythmica ad *Ludovicum*, Hassiæ Landgravium; post hanc legitur præfatio prosaica ad Lectorem, qva beatus Auctor consilii sui rationes totiusqve commentationis conditionem exponit; cui latus claudit index luculentus librorum editorum, qvibus ad eam concinnandam inprimis usus est. Subnectitur succincta genealogia Lutherorum ex Consiliis Vittebergensibus Parte IV. fol. 16 delineata.

Poëma hoc ad nitorem & elegantiam *Opitianam* non accedit, neqve adeo auribus delicatioribus satisfacit; at rebus se & idoneis testimoniis, qvibus omnia sunt superstructa, cordato cuiqve commendat, nec luce, cui dedicatum erat, olim indignum fuisset. Illustris *Z. C. ab Uffenbach* illud ex αὐτογράφῳ, qvod τοῦ μακαρίτου filius servavit, ab amanuensi describi fecerat.

Vol. X.

continet

1) Bibliothecam Helveticam Historico-Chronologicam oder Verzeichniß nach

dem

den Jahren allerhand groſſen und kleinen Tractaten, welche zu dem Zuſtand der Eidgenoßſchaft ſowol in Geiſtlichen als Weltlichen Sachen einiger maſſen gehören im Jahr 1705. Præmittur præfatio, conſtans foliis novem: ipſe vero librorum, huc pertinentium, catalogus foliis 118. abſolvitur, & nuda titulorum recenſione continetur. Initium fit ab A. C. 581. & producitur usqve ad an. 1717. Cui ille acceptus ferendus ſit, nec ex præfatione, nec ex Bibliotheca ipſa perſpicere hactenus licuit. Diligentem tamen & adſiduum fuiſſe neceſſe eſt, qvicunqve tandem fuerit.

2. Specimen Catalogi librorum univerſalis, ſtudio *Jo. Baptiſtæ Ottii*, Antiſtitis Tigurini, & amicorum collecti, qvod ipſe *Ottius* ad *Z. C. ab Uffenbach* transmiſerat. Conſtat illud foliis 48. & ad literam B. pertinet, qvæ nec ipſa ad finem perducta in nomine *Bankini*, Londinenſis, deſinit. Ratio indicis hujus hæc eſt. Primo loco ſcripta anonymorum, ad literam B. ſpectantium, recitantur, non tamen ſingulorum omnia, ſed unum alterumqve, addito loco & anno, qvibus prodierunt. Seqvuntur deinde ordine ſcriptorum, ad eandem literam pertinentium, nomina uno alterove libro comitata: v. c. *Baal, Baar* (*i. e. Behr*, Judaei nomen) *Baazus*, *Baba Kama* (tract. Talmud.) *Babelonius*, *Babenberg*, (vel potius

potius *Bebenburg*,) &c. Ex his per ſe patet primas tantum lineas Bibliothecæ Univerſalis hic ductas eſſe.

3) *Epitaphia* Illuſtrium & doctorum virorum per Italiam a *Wolfgango Garſpll*, legum Doctore, collecta, centum & amplius. Titulus ita habet: *Epitaphia, per univerſam fere Italiam collecta magno labore & diligentia per me*, Wolfgangum Garſpll, *legum doctorem, in qvibus mira videntur tum eruditionis tum affectuum exempla: alios, qvæ ipſe expertus, docens.*

Qvis ille *Garſpll* fuerit, fruſtra adhuc qvæſivi. Helveticum tamen fuiſſe, vel ex nominis conditione conjicio. Scriptura ipſa antiqvam manum refert, qvæ ipſius *Garſpllii* videri poterat, niſi vox *epithavia*, ſemper incondite ſcripta, aliud credere ſvaderet, ut alia librarii errata manifeſta omittam. Qvo tempore collecta ſint, nusqvam apparet. Fortaſſe tamen recte ad initium Sæculi XVI. referas. In initio enim, ubi epitaphia, Romæ inventa, deſcribuntur, hæc legis: *Epithavia Romæ in florentiſſima urbe ac orbis matre reperta: qvæ, a Germanis VI. die Maji, anno a Chriſti nativitate* 1527. *capta, his ac Hiſpanis ſpolio ceſſit, Romano Pontifice Clemente capto, qvi omnes poſtqvam ad Neapolitanum regnum defendendum iviſſent, Rex vero Galliæ una cum Confœderatis ſuis (nempe Venetis, Rege Angliæ, Florentinis, Duce Mediolanen-*

Ianenſi ; conſœderati inqvam omnes hi contra Imperatorem Carolum hujus nominis Qvintum) regnum Neapolitanum invaſiſſet, magna exinde tam arte, & ingenio, qvam fortuna ab invadentibus omnes, qvorum numerus erat qvadraginta millia, eſſent profligati, & ſummi duces capti, anno 21. menſe Auguſto.

Paulo poſt hanc Urbis direptionem epitaphia hæc collecta ſuſpicor, qvia alioqvin cauſa non apparet, cur illius mentio h. l. facta fuiſſet. Epitaphia ipſa ſecundum varias Italiæ urbes, qvas *Garsplius* inviſit, congeſta ſunt. Inter Romana primum eſt Imp. Cæſ. Flavii Conſtantini ex arcu Conſtantini deſcriptum. Seqvitur epitaphium *Galieni* &c.

Hæc excipiunt epitaphia *Ravennatenſia*, *Mediolanenſia*, *Beneventana* &c. Inter *Patavina* occurrunt etiam illa *Livii* & *Chriſtoph. Longolii*, qvorum hoc *Petro Bembo* debetur.

4) Colophonem volumini imponit Anonymi conſilium, vernacula lingva, & prudenter ſcriptum, qva ratione Scholæ Francofurtanæ defectibus medicina adferri poſſit.

Vol. XI.

1) Pars I. Catalogi MSS. Codicum *Theologicorum* Latinorum *Bibliothecæ Cæſareæ* Vindobonenſis, a codice primo usqve ad DCCXXX compoſita à *Sebaſtiano Tengnagelio*,

lio, qvi an. 1608. Bibliothecæ illi præfectus fuit, & an. 1636. obiit. Ejusd. catalogus MSS. Codd. *Juridicorum* a codice 1. usqve ad CLII. nec minus *Philoſophicorum* a cod. 1. ad CCLXXII. ac deniqve Hiſtoricorum a cod. I ad CCCCLXI.

Catalogus hic nudos librorum, codicibus illis contentorum, titulos ſine excerptis aut judiciis complectitur, nec adhuc editus eſt. Similem indicem codd. Hebraicc. MSS. *Tengnagelianum* habes in Commentariis Lambecianis de Biblioth. Vindobon. Tom. I.

2) Catalogus MSS. Bibliothecæ *Vratislavienſis Eliſabethanæ*, & qvidem *Rhedigerianorum*, ſecundum Repoſitoria concinnatus, qvorum *primum* in fol. habet codd. 161. Græcos & Latinos: *ſecundum* itidem in fol. codd. 88. Seqvuntur codd. in 4. num. 56. Porro in forma octava 25. hinc codd. in duodec. qvinqve. Accedit appendix I. codd. MSS. *Schiſianorum* in fol. 43. & in qvart. 31. Appendix II. MSS. *Haunoldianorum* in fol. 25. in qv. *qvinqve*, in octav. trium. & in duodec. *qvatuor*. Append. III. codd. novisſime in eandem Bibliothecam relatorum, in fol. *trium*, in qv. *qvinqve*, & in 8. unius: una cum Additamento eorum, qvi juſſu Senatus Vratislavienſis ex Archivis Vratislav. an. 1706. ad eum acceſſerunt. Horum ſunt ſeptendecim.

In

In Repoſitorio II. à n. 12. ad 20. novem exſtant volumina epiſtolarum virorum præſtantiorum & eruditorum Sæculi XVI. qvarum numerus conficit 3031.

Catal. hic lucem non vidit. Lege interim *Struvii* Introduct. in rem literariam c. l. §. 15.

3) Catalogus Bibliothecæ *Freinshemianæ.*

4) Anonymi commentatio Ethica per tabulas diſpoſita.

5) Commendationes qvædam & teſtimonia variis literarum ſtudioſis data, &, neſcio unde, deſcripta.

6) Bullæ variæ ad Univerſitatem *Moguntinam* pertinentes, nempe *fundatoria, exſecutoria, declaratoria, conſervatoria*, & *confirmatoria* Privilegiorum.

7) Fundatio Academiæ *Upſalienſis*, auſpiciis Regis, *Guſtavi Adolphi.*

8) *Jo. Henr. Bæcleri* conſilia varia autographa de emendatione Scholarum, ac ſpeciatim Gymnaſii Argentoratenſis.

9) Vindiciæ valde acerbæ *Jo. Ottonis Taboris*, JCti Argentinenſis, adverſus *Jo. Rebhanum*, itidem JCtum Argentoratenſem, foliorum undecim. Initium eſt: *Miſit Argentorato amicus famoſum libellum, forma epiſtolæ, qvæ auctorem præfert, qvi ſe JCtum vocat: rectius vocaretur ludimagiſtellus, Paratragœdus, calumniator. Hæc enim nomina ſibi ipſe ſuo jure*

asserit, dum viro, non nisi optimis artibus publice noto, sycophantico scelere apud imperitos ea imponere non veretur. Detestati sunt mecum facinus omnes, qui legerunt, viri magni & boni, & adversus perditissimi hujus Perditii *furores auxilia circumspicere cœperunt, suo tempore satis valide expedienda. Interea debeo Viro Amplissimo* Jo. Henr. Bœclero *amico intimo, imo ipsi veritati breves has vindicias, fortioribus remediis præluturas. &c.*

Ex seqventibus clare apparet, vindicias has in gratiam *Bœcleri* scriptas esse, qvem *Rebhanius* in Programmate qvodam Doctorali, ac deinde in *Epistola ad amicum* pupugisse videbatur.

10) Carmina variorum in nuptias *Marqvardi Freheri.*

11) Index alphabet. in *Hermanni ab Hardt* tomos de Concilio Constantiensi, qvem in usus suos per amanuensem conscribi fecit B. *Zach. Couradus ab Uffenbach.*

12) Calcem occupat catalogus MSS. *Magicorum*, qvæ posſedit *Jo. Albertus Dolhopf*, Bibliopola qvondam Argentoratensis.

Vol. XII.

1) Catalogus MSStorum Bibliothecæ S. Martini, Reverend. *Capituli Archiepiscopalis* Metropolis *Moguntinensis*, à Fratre *Urbano*, Prædicatore dicti Capituli, an. 1654. confectus. In limine monetur, indicari heic

heic codices tantum eos, qvi poſt depopulationem Svecicam in illa Bibliotheca ſuperfuerint. Conſtat foliis undecim.

2) *Laur. Odhelii*, Sveci, Bibliotheca Philologica Græca & Latina ſecundum nomina ſcriptorum, literarum ſerie diſpoſita. Accedit index librorum, qvos *Jo. Meurſius* vel ſcripſit ipſe, vel recognitos edidit. Abſolvitur foliis qvindecim.

3) Catalogus MSS. Bibliothecæ Carolinæ *Tigurinæ* ſecundum literarum ordinem concinnatus, foliorum qvatuor.

4) Delineatio operis cujusdam medici manu exarati, & in qvinqve libros diſtributi, auctore Judæo, qvi in calce libri V. ſe *Heſſum*, & *Salinſio* oriundum, medicæqve artis ſtudioſum appellat, & per 66. annos Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus &c. arte ſua inſerviiſſe jactabundus admodum profitetur. Scripſit opus A. C. 1430. qvem ipſe comparat cum A. M. 5190. In limine libri primi teſtatur, ſe hæc ex *Avicennæ* aliorumqve libris compilaſſe, mentionem qvoqve facit *Practicæ*, qvam tribuit M. *Joanni Bame*. Eam ait à ſe ex Gallico *Hebraicam*, hinc vero, juſſu Comitis Spanheimenſis, Germanicam factam eſſe.

Volumen hoc in folio regali deſcriptum fuit, & Tiguri venale proſtitit, qvod B. *Uffenbachius* manu ſua teſtatur.

5) M. *Eliæ Hofmanni*, Conrectoris

Francofurtenſis, conſilium de tollendis nævis & mendis Scholæ Francofurtanæ, germanice ſcriptum.

6) Seqvitur, poſt interjecta alia, copia *Inſtrumenti* antiqvi, vernaculi, ad cognoſcendam litem, inter *Jo. Guttenbergium*, & *Jo. Fauſtum* an. 1455. diſceptatam, pertinentis. Inſtrumentum illud ex codice MS. *Jo. Frider. Fauſti*, qvi an. 1600. authentica documenta multa, qvæ ad hanc cauſam ſpectant, ex avita hæreditate accepta, congeſſerat, deſcriptum eſt à *Jo. Erneſto von Glauburg* an. 1712. 3. Mart. Titulus iſte eſt: Copia eines alten Inſtruments, den Proceſs des erſten Erfinders der Buchdrucker Kunſt, Junckherrn Johann Guttenbergk, des Geſchlechts derer zum Jungen, mit Johann Faufſten, dem erſten Verleger gemeldter Buchdruckerey, wegen der Verlags-Koſten betreffend, aus Joh. Frider. Faufſten, der ſolche circa an. 1600. von deme damahlen bey der Familien annoch vorhanden geweſenen Original abgeſchrieben, Manuſcriptis ausgezogen, und ſub lit. O. fol 159. befindlich, von mir Jo. Ernſt von Glauburg an. 1712. den 3. Mart. von gemeldten mit lit. O. bezeichneten MSto J. F. Faufſten fleißig und richtig abgeſchrieben. Inſtrumentum hoc Notariale, cum ad cognoſcendum primum typographicæ artis inventorem multum faciat, nec exſtare illud alibi meminerim, alia fortaſſe occaſione ſup-

ſuppeditaturus ſum. Conf. infra Vol. II. in 4. Legis poſt alia

7) Vitam *Jo. Sichardi* J.U.D. à D. *Conr. Humbrachto* deſcriptam, foliorum qvatuor, diverſam ab illa, qvam habes in *Melchioris Adami* Vitis JCtorum p. 40. edit. in fol.

8) *G. H. Velschii* Sciagraphiam tractatus de literatura Orientali, qvæ excuſa exſtat in *Meelführeri* Acceſſionibus ad *Almeloveenii* Bibliothecam promiſſam & latentem p. 169. ſqq.

9) Anonymi collectanea ad rem literariam & librariam ſpectantia.

10) *J. H. Bæcleri* libellum autographum de ſcriptoribus Græcis & Latinis, ex qvo edita formis expreſſa ſunt.

11) *Anon.* Collectanea de plagio & plagiariis, foliorum viginti, ex vetere & recentiore memoria petita.

Vol. XIII.

Matthiæ Berneggeri catalogus Bibliothecæ propriæ, ab ipſo digeſtus & deſcriptus: una cum indice librorum MSS. tam Græcorum, qvam Latinorum, inter qvos multi ad artem Medicam ſpectant.

Vol. XIV.

Catal. Bibliothecæ *Jo. Chriſtiani Itteri*, JCti, & Archigrammmatei Reipubl. Mœno-Francofurtanæ.

Vol. XV.

Jo. Petri Lotichii, de qvo ſupra in Apparatu Epiſtolico ad Vol. XXV. in fol. diximus, varia continet, ac

1) qvidem Poëtaram ejus Novantiqvorum Partes qvinqve ipſius manu ſcriptas. Ex his Pars I. & II. ſub titulo *Bibliothecæ Poëticæ* Francofurti ſumtibus Pauli Jeniſii an. 1625. 8 lucem viderunt, heic vero ſecunda auctoris cura emendatæ ac multum auctæ leguntur, ut plane novæ videri poſſint. Pars III. ibidem 1626. edita ſimiliter emendatior & auctior heic exſtat. Pars IV. ibidem an. 1628. divulgata, plurimos Poëtas heic in Parte IV. & V. enarratos ſiſtit, ita tamen, ut emendatiores & auctiores in volumine hoc, manu exarato, occurrant. Pars ſcilicet IV. *Galliæ, Angliæ, Ungariæ & Bohemiæ*; Pars V. vero *Poloniæ, Daniæ, Sveciæ & Scotiæ* Poetis tribuitur.

2) Ejusdem *Noctium Academicarum*, ſive Antiqvarum & Variarum Lectionum libros XVII. XVIII. XIX. XX. & XXI. *Wittenius* in Diario Biographico ad an. 1652 Dec. 26. inter cetera *Lotichii* noſtri ſcripta libros XII. Variarum Lectionum adfert; Index vero librorum ejusdem, & editorum, & non editorum, qvem in Volumine epiſtolarum, ab eodem collectarum, exſtare ſupra ad num. XXV. in fol. monuimus, libros XVII. Variarum Lectionum commemorat. Ab

eru-

eruditis Bibliothecarum ſcriptoribus video libros V. Noctium Academicarum, tanqvam Francofurti 1646. 8. editos adferri, qvos fruſtra adhuc qvæſivi. Fieri poteſt, ut qvinqve illi libri iidem ſint, qvos manu exaratos habeo. De qvo ut conſtare aliis rectius posſit, nonnulla exempli loco commemorabo. Libri XVII. caput I. varia argumenta complectitur: v. c. *Jurisprudentiæ vituperium; duo Rerumpublicarum fulcra, præmia & pœnas: leges olim à pravis moribus natas: bonos non habere opus legibus* &c. Capite II. Virgilius bis accuſatur, dum *Georgic.* lib. I. *ranis* improprie *cantum*, & *Aeneid.* lib. IV. tanto turpius *buboni*, avi nocturnæ & funereæ, *carmen* aſcribit. Cap. III. *Virgilius* dicto *Georgic.* lib. I. v. 5. contra carminis elegantiam & concinnitatem in τῷ *hinc*, vocula, bis delinqvit, &c.

3) Ejusdem librum I. & IV. de Summo Bono i. e. Deo O. M. ſed neutrum, ut videtur, abſolutum.

Vol. XVI.

Jo. Henr. Ottii, Profeſſoris qvondam Tigurini, Lexicon materiale Hiſtorico-Philologicum a *Jo. Baptiſta*, filio ejus, Archidiacono & Bibliothecario Tigurino, continuatum, ubi ſub titulis variis, literarum ſerie collocatis, de argumentis hiſtoricis & antiqvariis potiſſimum agitur, & Scri-

ptores, unde plura peti poſſunt, adferuntur.

J. H. Ottius de hiſtoria & antiqvitate eccleſiaſt. egregie meritus eſt in Examine Annalium Baronii, de qvo videbis B. *Thomæ Ittigii* diſſert. præmiſſam Selectis capitibus Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 37. Dolendum vero eſt Centurias hujus operis tres tantum Tiguri an. 1676, prodiiſſe, & ceteras, à filio, *Jo. Bapt.* promiſſas, adhuc latere. Vide Miſcellanea *Ancillonii* gall. edita Tom. I. p. 282. & Conſpectum operis integri, prelo tum ſubjiciendi, qvi ex ep. *Io. Bapt Ottii* exſtat in Novis Reipubl. Literar. an. 1687. p. 784. Confer Sammlung von Alten und Neuen an. 1734. p. 614. Res tamen omnis in deſtinatis manſit, & octo illius Operis in qvarta forma volumina manu exarata poſtea ad *C. Z. Uffenbachium* pervenerunt, commemorata in *Bibliotheca Uffenbachiana* compendiaria p. 274. ubi & Apparatus ejus ad *Hiſtoriam Anabaptiſtarum* (qvam in Annalibus Anabaptiſticis, Baſil. 1672. 4. editis illuſtravit,) decem voluminibus conſtans, p. 190. adfertur.

De *Jo. Baptiſtæ*, filii, ſcriptis adfectis videbis ipſius epiſtolam ſingularem ad *Th. Crenium*, qvam habes Tom. XII. *Animadverſionum* ejus p. 161. de editis vero Nova Literaria Helvetica an. 1702. p. 27. 1705. p. 8. 1709. p. 9. & 1711. p. 10. Ejusdem

ſunt

sunt Animadversiones in *Josephum* & *Specimen Lexici Flaviani*, qvæ exstant in novissima editione Josephi Havercampiana.

In eodem Volumine exstant *Jo. Wolphii*, Tigurini, Annotationes Topologicæ, qvibus loca Terræ Sanctæ, in Sacro Codice memorata, secundum literarum seriem enarrantur & exponuntur.

Vol. XVII. XVIII. XIX. XX. & XXI. ampla admodum complectuntur *autographa* Illustrium & eruditorum virorum, qvæ ex albis, libris manu eorum signatis, epistolis, ab ipsis scriptis, vel alitunde, petita sunt, & suis qvæqve locis diligenter digesta. Volumina duo XVII. & XVIII. habent autographa Regum, Principum, Comitum, Nobilium & aliorum Illustrium Virorum circiter bis mille. Reliqva vero tria Theologorum, JCtorum, Medicorum, Philosophorum & Philologorum ad qvater mille, qvorum ultimum ipse ego hinc inde collegi, postqvam qvatuor priora ex *Uffenbachiana* supellectile accepissem. His jungendum est *sextum*, qvod supra in Apparatu Epistolico allatum est num. XXVIII. Id enim præter epistolas aliqvot autographas similia Regum, Principum & aliorum clarissimorum virorum 400. exhibet. Horum αὐτογράφων usum egregium expertus didici, ubi de ἰδιογράφοις, his illisve

nunc

nunc vindicandis, nunc abjudicandis, agebatur.

Seqvantur Volumina hujus Apparatus in forma qvarta.

Vol. I.

Catalogus MSStorum Bibliothecæ in monte *S. Michaelis*, ſeu *Carthuſia* prope *Moguntiam*, cujus copia facta eſt *Uffenbachio* a Patre Priore Dn. *Michaele*. Catalogus duplex eſt. Alter alphabeticus ſecundum nomina Scriptorum, qvibus ſinguli libri ſunt ſubjecti: alter volumina ſingula ordine, qvo in Repoſitoriis, qvæ vocant, exſtant, perſeqvitur, indicatis ſcriptis, qvæ ibidem habentur. Libri omnes Latini ſunt, & maximam partem mediæ & infimæ ætatis. Subnectitur deniqve catalogus realis in eandem Bibliothecam, ex qvo conſtare poſſit, qvæ ſcripta de qvibus argumentis, ad titulos ſuos ordine alphabetico revocatis, in ea habeantur. Volumen ipſum ſatis amplum eſt.

Vol. II.

commentationem exhibet ad inveſtigandam *artis typographicæ* originem relatam. Titulus eſt: Diſcurs vom Urſprung der Druckerey, wer, auch wann, und an welchem Orte ſolche erſtmahls erfunden, aus denen ad familiam

miliam der Fauſten von Aſchaffenburg gehörigen documenten. Præmittitur præfatio ad Lectorem Latina, qvam ſeqvuntur variorum de impreſſoriæ artis inventione, præſtantia, primoqve auctore, eruditorum judicia & teſtimonia, usqve ad p. 31. Hinc usqve ad p. 68. ſeu finem hujus commentationis initia hujus artis a *Jo. Fauſto*, cive Moguntino erudito, & *Petro Schoeffero*, Gernsheimenſi (primum famulo ejus, deinde vero ob egregia incrementa, quæ arti illi, à *Fauſto* primum inventæ, attulit, genero,) repetuntur, allatis idoneis documentis, inter quæ & illud eſt Inſtrumentum Notariale, qvod modo ad Vol. XII. in fol. 6. excitavimus. Ex eo vero conſtat, *Jo. Guttenberg* (*Fauſti* vicinum, vel, ſecundum alios, inqvilinum, cui origo hujus artis ab aliis perperam vindicatur) ſe *Fauſto* junxiſſe, lucriqve ſtudio ductum, ad ſumtus, imprimendis libris idoneos, ex parte ſuppeditandos obtuliſſe, deinde vero, cum nimii illi viderentur, pecuniam aliunde a *Fauſto* mutuam ſumtam, ex ſua parte perſolvere recuſaſſe. Cum itaqve, cauſa cognita, vi factæ ſponſionis, ad partem ſumtuum ferendam & expungendam ex Judicum ſententia adigeretur *Guttenbergius*, Moguntia Argentoratum, rupta ſocietate, an. 1455. paulo poſt *Inſtrumentum* illud *Notariale* confectum, ſe contulit, atqve adeo occaſio-

casionem fecit, ut artis hujus notitia ad alios perveniret. Ita v. c. *Johannes Petersheimensis, Jo. Fausti & Petri Schoefferi* olim admister, *Francofurti* an. 1459, alii vero, inprimis post occupatam per proditionem Moguntiam an. 1462. alibi artem hanc exercuerunt. Hæc itemque alia fusius ibidem exponuntur, qvibus deniqve fides fit tum ex *Instrumento* illo sæpe advocato, tum ex illis, qvæ in calce librorum in primis typographiæ incunabulis impressorum, leguntur. His accedunt, qvæ exstant in calce *Chronici Trithemiani* an. 1525. editi. Ibi enim *Jo. Faustus imprimendi artem proprio ingenio excogitare specularique an.* 1450. *Moguntiæ coepisse, anno autem* 1452. *perfecisse & in opus imprimendi deduxisse, opera tantum ac multis necessariis adinventionibus*, Petri Schoeffer de Gernsheim, *ministri sui, filii adoptivi, cui etiam filiam suam* Christinam Faustin *pro digna laborum, multarumque adinventionum remuneratione nuptui dedisse*, dicitur. Additur deniqve, *Jo. Faustum & Pet. Schoefferum artem hanc in secreto retinuisse*, qvæ tandem anno 1462. *per ministros ac familiares in diversas terrarum provincias sit divulgata.*

Digna est hæc commentatio, qvæ lucem aliqvando videat. Eam vero Ill. *Uffenbachius* describi fecit ex apographo Ill. *Jo. Maximil. zum Jungen*, qvod Generos. *Jo. Ernestus à Glauburg* illi utendum concesserat,

ſerat. De auctore illius non ſatis certo mihi conſtat. In limine præfationis inventorem artis ait fuiſſe *atavi ſui paterni fratrem*; ex iis porro, qvæ ſupra ad cod. XII. in fol. n. 6. ſcripſi, colligo, nomen illi fuiſſe *Jo. Frider. Fauſti*. Is enim an. 1600. documenta, qvæ huc pertinent, omnia collegiſſe dicitur, ex qvibus ibi *Inſtrumentum Notariale*, qvod in hac ipſa, qvam enarro, ſcriptione exſtat, deſcriptum eſſe ſignificatur. Hoc deniqve addere licuerit, *Jo. Davidem Kœlerum*, Profeſſorem olim *Altorfinum*, nunc *Gœttingenſem*, virum egregium, jam pridem promiſiſſe tractatum, qvo ex monumentis antiqviſſimis Moguntinis oſtenſurus ſit, *Guttenbergium* primum artis hujus inventorem eſſe, ea vero, qvæ de lite, cum eo à *Fauſto* agitata, a *Trithemio* tradantur, pro falſis habenda. Vide Cl. *Schellhornii* Amœnitates Literur. Tom. IV. p. 301.

In hoc Volumine legitur præterea Index MSS. qvæ exſtant in Biblioth. *Dn. Raymundi Kraft* à Delmenſingen, Senatoris Ulmenſis pagg. 12. itemqve Index librorum, intra ſesqviſeculum ab artis typographicæ inventione formis exſcriptorum, pagg. 24. *Memorium* Viri præſtantiſſimi, an. 1729. 17. Februar. ætatis ſexto & ſexageſimo fatis functi, tradidit amiciſſimus nobis *Schellhornius* Tom. XI. Amœnitatum

tatum Literariarum p. 253. ſqq. qvæ paſſim rarioraBibliothecæ hujus κειμήλια prædicant, & in literatorum communiorem uſum diffundunt.

Vol. III.

Alphonſi Ciacconii, Hiſpani, Bibliotheca, libros & ſcriptores ferme cunctos ab initio Orbis ad annum usqve 1583. ordine literarum complectens. Volumen eſt amplisſimum, & vel ſic vix qvintam operis partem continet. Deſinit enim in litera E. ſub nomine *Epimenidis*. Hæc *Bibliothecæ Univerſalis* pars exſtitit olim apud *Jac. Kryſ*, J. V. D. & Eccleſiæ Romano Cathol. Amſtelodamenſis qvondam Paſtorem, qvod patet ex Catalogo Bibliothecæ Kryſianæ, Hagæ Comit. 1727. edito, p. 92. n. 984. ubi recte monetur, *Ciacconium* opus hoc ſuum Epitomæ Bibliothecæ Gesnerianæ, a *Friſio* auctæ, ita ſuperſtruxiſſe, ut partim Scriptoribus, ibi exſtantibus, obſervata ſua addiderit, partim prætermiſſos ibi commemorarit, in ceteris vero eam ita ſit ſecutus, ut verba qvoqve ipſa ſervaret. Meum, qvod habeo, ἀπόγραφον, fieri feci ex apographo, qvod olim erat apud B. *Guſtavum Schroedterum*, Paſtorem qvondam in Holſatia Danica Tychopolitanum. Vide Catalogum Biblioth. Schroedterianæ, Hamburgi 1724. editum, inter MSS. in fol. n. 162.

Exſtat

Exſtat illa nunc formis exſcripta Pariſ. 1731. fol opera *Franc. Dionyſii Camuſati*, qvi eandem obſervationibus ſuis eruditis locupletavit. Sed ita exſtat, ut, neſcio cujus culpa, liber a multis, meqve ipſo, fruſtra hactenus ſit qvæſitus, qvamvis oculis meis in Belgio viſus. Enarratur qvoqve in ephemeridibus literariis Gallice ſcriptis, *Bibliotheqve Raiſonnée*, Tom. VII. Part. I. p. 95. ſqq. & in Ephemeridibus Pariſienſium eruditis an. 1732. menſ. Jun. ed. Amſtelod. ubi *Camuſatus*, in notis, qvæ ab ipſo profectæ videntur, ab animadverſionibus qvibusdam vindicatur. Conf. de *Ciacconio*, & hoc ejus opere, Bibliothecam Ordinis Prædicatorum, qvam *Echardo* & *Qvetifio* debemus, itemqve *Nic. Antonium* in Biblioth. Hiſpana Nova Tom. I. p. 13. ſqq.

Vol. IV.

Catalogus MSS. *Bibliothecæ Regiæ Scorialenſis* in Monaſterio S. Laurentii, ſecundum literarum ſeriem concinnatus. Et hic fuit in Bibliotheca *Kryſiana*, de qva modo dixi, teſte Catalogo p. 92. n. 984. ubi an. 1615. confectus, & an. 1625. excellentiſſ. D. Caſpari de Guzmann, Duci de S. Lucar per Martin. de la Vera, ejusdem Cœnobii Scorialenſis Priorem donatus dicitur. Meum apographum natum eſt ex apographo *Schroederiano*, qvod in Catal. Bibliotheæ

Schrœdterianæ p. 820. n. 158. adfertur. Vix dubito, utriusqve libri, nempe *Bibliothecæ Ciacconianæ*, & *Catalogi* hujus *Scorialenſis* exempla *Schrœdteriana*, ſub haſta olim vendita, in *Kryſianam* illam tranſiiſſe.

Vol. V.

Catalogus Bibliothecæ Theologi cujusdam Anonymi, foliorum viginti, tumultuaria opera confectus, nec magni momenti. Majoris vero eſt pretii, qvem huic adjeci, index codicum Hebraicorum manu exaratorum, qvi exſtant in Bibliotheca Taurinenſi, ab eruditisſimo Abbate *Benzinio* confectus, & mecum olim liberaliter communicatus. Ad eum freqventer provoco in Vol. IV. Bibliothecæ meæ Hebraicæ, tanqvam talem, qvi codices Biblicos antiqvisſimos, & alia Judæorum ſcripta, nec edita adhuc, nec fere cognita, complectatur. Conſtat ille foliis tredecim.

Vol. VI.

B. *Mart. Lutheri* dicta & facta memorabilia à coævo collecta. Volumen hoc in Bibliotheca Uffenbachiana MS. Hal. 1720. fol. editâ, Parte V. fol. 283. ſqq. diligenter per ſingulas partes enarratur, ut opera hac ſuperſedere nunc poſſim. *Inſcriptum qvidem*, qvod l. c. legis, *legitur* Georgii Nigrini *nomen primo, ſed ipſum non collegiſſe, ſed vel deſcri-*

deſcripſiſſe, vel tantum poſſediſſe, ex anno 1550. *adjecto, quo B. Lutherus in vivis non amplius exſtitit, colligi poteſt. Sunt in his nonnulla, quæ inter colloqvia, ut vocantur, Lutheri qvoqve occurrunt, plerumqve tamen variant, ac Latino ſermone conſcripta hic ſunt omnia, intermixtis paucisſimis ſaltem Germanicis.* Volumen ipſum abſolvitur paginis 498. in fine tamen deficiens.

Vol. VII.

B. *Mart. Lutheri & Philippi Melanchthonis* opuſcula, judicia ac dicta varia, a coævo collecta, partim Latina, partim Germanica. Eorum indicem accuratum habes in Bibliotheca Vffenbachiana MS. modo laudata, in fol. col. 270-280. Inter cetera exſtat etiam *Pauli Fagii*, Profeſſoris Argentoratenſis, de ſacris literis præclare promeriti, commentarius in Geneſin, Argentorati 1546. prælectus, ſed heic qvidem non abſolutus. Deſinit enim in capite VI. & foliis conſtat 48. cetera diverſus a notis ejus in IV. capita *Geneſeos, Conſtantiæ* 1543. & in *Chaldaicam Pentateuchi Paraphraſin* editis.

Vol. VIII.

Jo. Chriſt. Langii, Doctoris Theologi, & olim Profeſſoris Philoſophi Gieſſenſis, jam vero Antiſtitis Sacrorum Idſteinenſis, *Collectanea* ad notitiam librorum. Enarran-

tur in illis libri variorum & varii qvoqve argumenti, non obſervato ullo ordine, ita qvidem, ut nunc longius, nunc ſuccinctius tum de auctoribus illorum, tum de libris ipſis agatur. Volumen hoc primum, paginis 758. conſtans primo loco enarrat libros LX. usqve ad p. 139. hinc, facto novo initio, *centenarius* librorum promittitur, qvi tamen in libro LXXVI. p. 758. acqvieſcit. Inde à p. 171. ad p. 219. habentur excerpta ex *Brecklingii* epiſtolis, ad B. *Jo. Henr. Majum* perſcriptis, qvas nunc autographas habeo.

Vol. IX.

perſeqvitur eadem *Collectanea* paginis 701. Enarrantur ibidem primo loco libri & Scriptores LXIII. usqve ad p. 449. inſertis iterum ex epiſtolis *Brecklingianis* excerptis p. 8-21. Deinde, novo facto initio, p. 449. usqve ad finem voluminis libri XXXI. adferuntur.

Vol. X.

ſuperioribus duobus ſimile, conſtat paginis 364. & LIII. libros enarrat. Habes in his Collectaneis obſervata non proletaria, nec vulgo obvia, ſive Scriptores ipſos, ſive argumenta librorum, qvi recitantur ſpectes. De Auctore eorum adhuc ſuperſtite, leges *Nova Literaria Germaniæ*, Hamburg-

burgi edita an. 1707. p. 416. *Bibliothecam Fabricianam* Tom. IV. p. 487. & Tom. V. p. 105. nec non Catalogum Bibliothecæ Reimannianæ p. 694.

Vol. XI.

Caſparis Cörberi, Profeſſoris quondam Eloqventiæ Helmſtadienſis, Prælectiones ad Notitiam Auctorum ſpectantes, & ſecundum temporis ſeriem adornatæ. Initium fit ab *Atlante*, *Orpheo*, *Dædalo*, *Lino*, &c. finis autem in *Juſto Varenio* & *Hermanno Conringio*. Abſolvitur paginis 379.

Seqvuntur in eodem Volumine *Georg. Schubarti*, Profeſſoris olim Jenenſis, *Prælectiones de cognitione bonorum Auctorum æqve ac re literaria* an. 1692, paginis 92. una cum Manuductione Anonymi ad Notitiam Scriptorum pagg. 54. Lege de *Schubarto Zeumeri* Vitas Philoſophorum Jenenſium p. 172. *Reimmanni* Introduct. in Hiſt. Literar. Germanorum Part. III. c. 4. p. 157. ſq. & Monatliche Auszüge an. 1701. p. 108. ſqq.

Vol. XII.

Caſp. Sagittarii, Profeſſoris Jenenſis, *Conjectanea de comparanda bonorum librorum cognitione*, una cum Notitia hiſtorica Bibliothecarum totius Orbis. De meritis & ſcriptis viri optimi tum editis, tum ἀνεκδότοις, leges vitam ejus à *Jo. Andrea Schmidio* Jenæ 1712. 8. editam.

Vol. XIII.

primo loco eandem *Sagittarii* commentationem, qvod ad primas lineas ab ipſo ſcriptam exhibet. Eam ſeqvuntur M. *Chriſtiani Guilielmi Vollandi*, nunc Superintendentis Mulhuſini meritiſſimi, nobisqve amicisſimi, Prælectiones de re literaria habitæ; una cum *C. S. Schurtzfleiſchii* Prælectionibus *de notitia librorum*.

Vol. XIV.

Conr. Samuelis Schurtzfleiſchii commentatio in *Jo. Henr. Bæcleri* Bibliographiam curioſam, Germanopoli an. 1677. 8. editam, à *Jo. Henr. Majo*, filio, deſcripta, pagg. 355.

Poſt illam legis B. *Vinc. Placcii*, Profeſſoris qvondam Eloqventiæ & Moralium in Gymnaſio Hamburgenſi, prælectiones *de ſtudio eloqventiæ, inprimis Chriſtianæ, optime inſtituendo*; pp. 134.

Vol. XV.

Collectio luculenta & ſpiſſa monumentorum, qvæ ad notitiam gentis *Rittershuſianæ* pertinent, partim ſcripta, partim typis expreſſa. Facta illa eſt à *Georg. Rittershuſio*, JCto, & præfatione longiore munita, filioqve ejus, *Adamo Friderico*, inprimis dicata, Culmbaci an. 1664. d. 12. menſis Auguſti. Præfationem illam ſeqvitur commentatio, itidem ſcripta, de nomine & fami-

familia *Rittershuſiana* in genere, paginis 28. Hanc ſeqvitur effigies *Balthaſ. Rittershuſii*, Ducalis Collegii Blaſiani Brunſvicenſis Senioris, 9. Aug. an. 1602. æt. 65. defuncti, ære expreſſa, cum ejusdem Memoria itidem formis deſcripta. Poſt hanc legis Memoriam *Conr. Rittershuſii, Balthaſ.* filii, ejusqve conjugum & liberorum plagulis qvatuordecim, itidem impreſſam. Eam ſeqvitur effigies *Georg. Rittershuſii* von Buch- und Meißdorf a Secretioribus Conſil. Brandenburgicis, Senatus Aulici Directoris & Feudorum Præpoſ. in Montanis Burggraviatus Norici, anno 1650. æt. ejus 55. ære deſcripta, una cum plagulis qvatuor impreſſis, qvæ ſuperiores illas quatuordecim una ſerie continuant, & de eodem hoc *Georgio Rittershuſio*, filio *Conradi* tertio genito, exponunt, additis teſtimoniis & elogiis ejusdem variis manu exaratis. Seqvitur *Sacrum Connubium* hujus *Georgii Rittershuſ.* cum Virgine *Urſula Roſina Stadtmannia* Culmbaci 1626. celebratum, & Norimbergæ carminibus, eodem anno editis, decantatum, plagulis duabus. Porro effigies *Nic. Rittershuſii*, filii *Conradi* qvarti, JCti, & Univerſitatis Altorfinæ Profeſſoris, cum carmine MS. qvo *Conradus* Pater nativitatem ejus proſecutus eſt. Et ſic de ceteris usqve ad finem Collectionis, qvæ longior eſt, qvam ut totam perſeqvi narrando poſſim.

Vol.

Vol. XVI.

Anonymi ſpecimen commentarii in libros *Grotii* de Jure Belli & Pacis cum brevi diſſertatione Anonymi de ejusdem vita, foliis 13.

2) *Bibliotheca Scriptorum ad Leges ſive Foros regni Aragonum* ab A. C. 1247. ad finem Sec. XVII. ad Exc. Virum Fridericum Adolphum Hanſen de Ehrencron, Daniæ Regis Status Conſiliarium, & ad Regem Catholicum Ablegatum Extraordinar. foliis 23.

3) Initium tractatus, *de rebus Metenſibus* ab *Antonio Eſchio Moſellano* in gratiam *Simonis Condetenſis*, Eccleſiæ Parochi, & Archipresbyteri, ſcripti. Conſtat foliis qvatuor, & prima tantum tria capita libris I. perſeqvitur.

Seqvuntur alia nonnulla ſchediasmata, Lat. & Germanica, qvæ huc parum faciunt.

Vol. XVII.

Additiones & Obſervationes ad Hiſtoricos Italicos, qvi latine ſcripſerunt, & à *Gerh. Joh. Voſſio* libro III. de Hiſtoricis Latinis enarrantur. Exſtant illæ Italice in Diario Italico, qvod inſcribitur *Giornale de' Letterati d' Italia*, inde ab anno 1712. Venetiis edito, Tom. IX. & ſqq. Illæ vero a B. *Zach. Conr. ab Uffenbach* ex Italico Latine, exerci-

exercitii & animi cauſa, converſæ hic leguntur. Conſtat hoc volumen paginis 851.

Vol. XVIII.

Eadem ad *Voſſium* additamenta ex Diario illo Italico Latine converſa perſeqvitur pp. 654. digna utiqve, qvæ lucem adſpiciant. Præterqvam enim qvod ſingulari induſtria ab Italis eruditis confecta ſunt, paucorum uſibus hactenus inſerviunt, cum ipſum illud Diarium in paucorum manibus verſetur.

Vol. XIX.

Orationes epiſtolæ & carmina varii generis Græce, Latine & Italice ſcripta Sæculo XVI. foliorum 210. Volumen hoc fuit olim *Matthiæ Berneggeri*, e Biblioth. D. Spachii an. 1616. ab eodem redemtum, qvod manus ejus teſtatur. Exſtat heic v. c. num. III. *Lazari Bonamici* oratio in laudem Hiſtoriæ latina: n. V. epigramma Græcum elegans in imaginem *Ludovici Rupefortii*, & Latina in eandem alia, ſicut complura alia ejusdem honori carmina dedicata ſunt. Terſum ubiqve agnoſcis ſcribendi genus, & pleraqve ab Italis profecta videntur. Sic n. LVII. exſtat *Baptiſtæ Caſtillionei*, Medici Lucenſis, epiſtola de aqvis Lucenſibus: n. LVIII. *Fabricii Mobilibi*, Lucenſis, epiſtola alia, &c.

Vol. XX.

Prælectiones ex ore B. *Jo. Franc. Buddei* in Elementa Philoſophiæ Practicæ Halæ Saxonum an. 1701. ab *Uffenbachio*, τῷ μακαρίτῃ, exceptæ & conſignatæ.

Vol. XXI.

Prælectiones *Buddei* in Hiſtoriam Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Italicæ, &c. ab eodem Vffenbachio manu deſcriptæ.

Vol. XXII. XXIII. XXIV.

Album conſtituunt in forma qvarta oblonga. cui nomina ſua inſcripſerunt, qvi Bibliothecam Vffenbachianam, illuſtri Poſſeſſore tunc ſuperſtite, viſebant. Initium fit ab anno 1711. finis autem in anno 1733. Singula folia figuram elegantem, ære expreſſam, inqve ejus ſpatio medio vacuo nomina inſcribentium exhibent.

Vol. XXV.

in forma octavi ordinis *Caſp. Sagittarii* Lineamenta Hiſtoriæ Literariæ, inde ab orbe condito, per Sæcula ſe invicem excipientia, usqve ad CHRISTUM natum deductæ. Initium fit a Sæculo ante CHRISTUM natum XVI. ubi de *Moſe* & *Jobo*. Seqvitur Sæc. XIV. ubi de origine & inventione Pœſios, Poetis antiqviſſimis, & libris qvibusdam ſacris deperditis &c. Deſinit opus

pus integrum in *Julio Cæsare, Lineamenta* hæc appellavit *Sagittarius*. De argumentis enim & Scriptoribus, huc spectantibus, succincte admodum disserit, allegatis uno alterove Auctore, qvi fusius de illis sint commentati. Pervenit hoc volumen αὐτόγραφον foliorum 335. ad *Uffenbachium* ex Bibliotheca Leyseriana, Helmstad. an. 1728. sub hasta vendita, cujus vide Catalogum p. 1. n. 9. ubi tamen notabis, minus recte ibi *historiam* hanc *literariam* ad A.C. 1682. deductam dici. Eo enim anno, in ipso αὐτογράφῳ expressio, prælecta fuisse videtur auditoribus, cum in Sæculo ante C.N. proximo desinat.

Vol. XXVI. XXVII. XXVIII & XXIX.

in forma octava oblonga sat ampla *Jo. Henrici & Jo. Baptistæ Ottiorum*, de qvibus supra ad Vol. XVI. in fol. Lexicon reale ac Criticum, ad seriem literarum concinnatum. Vol. XXVI. inde à litera B (A. enim periit) ad lit. M. Vol. XXVII. à lit. N ad Z producitur. Vol. XXVIII. complectitur literas omnes, ubi tamen A. itidem deficit usqve ad R. qvemadmodum Vol. XXIX. reliqvas usqve ad Z sistit. Utrumqve vero hoc volumen *Historica, Geographica & Mythica* persequitur. In calce voluminis XXIX. accedunt 1) index omnium gemmarum

ac

ac lapidum pretioſorum ordine alphabetico. 2) Apocalypſis myſteriorum Chymicorum, ſive explicatio notarum Chymico Medicarum, adjectis formulis nonnullis Medicis. 3) Sententiæ & phraſes ex Svetonio excerptæ. Lexici hujus, magno labore confecti, ea eſt conditio, ut ſingula nomina vel voces breviter explicentur, allatis vel veterum, vel recentiorum, inprimis eorum, qvi in antiqvos ſcriptores commentati ſunt, locis huc pertinentibus. *Beroaldum* nominatim in Svetonium, & *Britannic.* in Juvenalem, *Lactant.* in Statium, *Landinum* in Virgilium freqventiſſime, & qvavis fere pagina, video excitari.

Subjungere his deniqve licuerit Diploma membranaceum authenticum, qvo Rudolphus II. Imperator *Jo. Piſtorium*, conſiliarium ſuum, Comitem Palatinum renunciat; & Teſtimonium, qvod *Philip. Melanchthon* itidem in membrana manu ſua *Henr. Bullingero* impertitus eſt an. 1557. Cal. Maji. Eſt hoc exemplar illud, qvod olim fuit apud *Ottium*, V. C. Tigurinum, & ex qvo illud Eruditi Bremenſes Bibliothecæ ſuæ Hiſtorico-Philolog. Theologicæ Claſſ. II. p. 346. ſq. inſeruerunt. Velim tamen notes, ibi p. 347. pro *indicaturos* legendum eſſe *judicaturos*. Porro, qvod ibidem recte monetur, teſtimonium hoc non ad *Bullingerum* patrem, cujus ibidem ad Melanchtho-

thonem epiſtola an. 1546. data, exſtat, ſed ad filium qvendam ejus, ſpectare.

CLAVIS EPISTOLARUM PHIL. MELANCHTHONIS AD JOACH. CAMERAR.

qvam ſupra ad num. XXXIV. in 4. *Apparatus Epiſtolici* promiſi.

Nomine *Alcibiadis* in his epiſtolis intelligitur *Lutherus*.

Pag. 1. circa fin. *Non ſcribam ad hominem* νεανικῶς) *iuveniliter*, i. e. leviter & ſtolide.

p. 2. init. *Qvæ de Alphabeto ſcribis*) A. B. C. D. i. e. *Andreas Bodenſtein Carloſtadius, Doctor.*

p. 3. circa med. *vide, qvanta nos invidia ille nuper exortus Dux belli inteſtini oneret*) Franciſcus a Sickingen.

p. 4. init. *in nos, ut videtur, vehementius ſævituram, qvam in illum* πυρφόρον) Huttenum fortaſſe intelligit.

p. 6. fin. *De negotio* εὐχαριστίας) Lutherus adverſus Carolſtadium.

p. 7. Σαυμᾶς *noſter miris qvibusdam anigmatibus me his diebus pene excarnificavit*) Carloſtadius.

p. 10. init. *miſerabile fatum Neſeni ita me non nunqvam commovet.*) Periit in Albi.

p. 11. infr. med. *Credo angi etiam publicis illis* σκανδάλοις) Carlſtadius.

p. 12. infr. med. *de epicedio qvod ſcribis*) Neſenii.

p. 14.

p. 14 infr. init. *cum forte interrogarem filiam, ubi*) Annam poſtea nuptam Sabino.

p. 15. infr. med. *die Hilarii filiolus mihi natus eſt*) Philippus anno XXV.

p. 16. infr init. *videt illud alphabetum*) Caroloſtadius.

p. 17. *περὶ τοῦ ἀ β ſubinde gravius ſuſpicari cogor*) Caroloſtadii tragœdia.

p. 20. infr. med. *ὁ διδάσκαλος ad te ſcribit*) Luba (ita in apographo: procul dubio legendum *Luth.* i e. *Lutherus.*)

ibid circa fin. *Senatus Principis decreverat, ut daretur commeatus: ἄρχων ipſe recuſat*) Elector.

p. 21. l. 2. *regnum ibi gerit* Thomas) Munzerus Anabaptiſta.

ibid circa fin. *ſed valetudinis incommoda auget nunc Svevicus ille perniciosiſſimus motus*) ſeditio ruſticana.

p. 24. circa med. *cupio etiam ſcire, an inter ruſticos ſit* Ciconia) Storck.

p. 26. med. *Miſerum hominem! in illis ipſis latibulis captus eſt*· exitus Munzeri.

p. 40. init. me plane immerentem magna invidia onerat) vocat illum λογοδαίδαλον.

p. 43. init. *Stibero gratulor contigiſſe, ut videret Italiam*) ſed contraxit ibi Atheiſmum.

p. 47. circa fin. *Decubui ſummo cum periculo*) melancholia hypochondriaca.

p. 73.

p. 73. init. *adde quod in hoc loco)* Wittebergæ.

ibid. *non ſatis cohærent eorum animi, qui rerum potiuntur*) Lutherus & Scurfius.

p. 81. infr. med. *Scis me toto jam biennio exerceri hac quæſtione :*) an Cœna Domini Melancholicis concedenda.

p. 84. circa fin. *magis fortaſſe ſuccenſerem iſti ſcurræ*) Islebio.

p. 85. med. *natus eſt mihi Dei beneficio filiolus*) Georgius.

p. 87. circa fin. *Noſter* Vitus *ſalutat te*) Winshemius.

p. 94. med. *ὁ Φαιόκωμος latet domi ſuæ*) Moguntinus.

p. 94. infr. med. *inter τὸν ὁμώνυμον ἐμοί*) Landgravium.

ibid. *& illum* Ibericum *magnæ dicuntur eſſe inimicitiæ*) Landgravium. (Vereor, ut recte hæc deſcripta ſint.

p. 96. *Quorundam conſilium erat*) Landgravii & Epiſcop.

p. 98. infra init. *vellent aliqui, ut opinor, deletos eſſe*) Norimberga.

p. 101. *deſidero prudentiam in* illo) Linco.

p. 103. circ. med. *vidi hic exemplum epiſtolæ ad* Νικόλεων *ſcriptæ*) Lutheri ad Lincum.

ibid. infr. med. *Perlata eſt ad agricolam noſtrum*) Principem Georgium.

ibid. *is miſit hunc ad ποιμένα noſtrum*) Electorem,

ibid.

ibid. *& poſtulat decerni qvæſtionem in* Αρειόπαγον) Lutherum.

p. 107. init. *dedi hunc epiſtolam Doctori noſtrati, Lutheri* συνηγόρῳ) D. Schurfio.

p. 108. circ. fin. *habeo enim nonnullam cauſam*) qvia violabat ſuam gratiam apud Principem.

p. 110. lin. 1. *Sed* Cricius *errat*) Epiſcopocus Cracov.

p. 112. circ. med. *libellus ille, qvem edi poſtulat* Spenglerus) Secretarius Norimbergenſis.

ibid. infr. med. *compoſuit quidam e noſtris peracerbam ſane cenſuram*) Islebius.

p. 113. med *ad hæc jacet ille deformatus omnino ſcriptis*) Helochorium. (*Qvid ſibi hoc velit, parum adſeqvor.*)

ibid. infr. med. *nimium altercando veritatem amitti*) Ecce, qvod Philippus ſemper abhorruerit à παντάχοῦ i. e. abſurda vel admirabili permiſtione panis & corporis Chriſti.

p. 117. l. 3. *ille Argivus cum furit*) Macedo.

p. 118. l. 1. *metuunt non Hiſpanos, ſed alterum, ut ſuſpicor*) Landgravium.

p. 120. circ. med. *nolunt eas conditiones recipere* πόλεων τινῶν πρεσβευταὶ) Argentinenſes & eorum confœderati.

p. 122. circ. fin. *de eo periculo, qvod noſter amicus vitavit*) Grynæus.

p. 125. med. *& qvia additum erat decretum*

tum) in Comitiis Spirensibus an. 1529.

ibid. med. *qvo damnabantur qvidam nominatim*) Helvetii & Argentinenses.

p. 126. *postea rescivi, cupere qvosdam cum nostris & urbe vestra foedus facere*] Helvetios.

p. 128. circa init. *certum est, pecunia* externa *multos in Germania sollicitari*) Gallica.

ibid. infr. med. *de* Photino *qvod mones*) Zwinglio.

p. 129. med. *ad hæc institui Enchiridion dogmatum Christianorum*) Locos Communes.

p. 131. l. 3. scribit, ὅτι τὰς) Landgravii fœdus cum Tigurinis.

p. 133. l. 1. *Cæsarem jam de more Pontificis pedes adorasse*) Bononiæ.

p. 134. post med. ὁ διδάσκαλος *subsistet opportuno aliqvo in loco*) Lutherus Coburgi.

p. 135. circ. med. *sed hic affirmant Cajetanum esse*) lege, *non esse*.

ibid. infr. med. *hic reperi* τοῦ ταυροκέρω *libellum*) Zvinglii.

p. 136. circ. fin. *Juvenis ille, de qvo dixi*) Ferdinandus.

p. 137. circ. med. *In hac sententia dicitur esse Mercurinus* ὁ ἀρχιγραμματεύς.) Cancellarius Caroli V.

ibid. infr. med, *Ego apologiam paravi*) Confession. Augustan.

p. 156. infr. med. *ſcripſit Lutherus, & vix extorſit illi ὁ ῥήτωρ*) Pontanus.

p. 157. med. *de Concordia* Taurica *etiam arbitror*) Helvetica.

p. 159. med. *continetur enim adhuc conſiliis noſtrorum ὁ ἡρακλείδης*) Landgravius.

ibid. infr. med. *ὁ ἀρχιερεὺς vicinus magnum terrorem incuſit.* Moguntinus.

p. 162. init. *Gallus reſcripſit humaniſſ.* ſcilicet odio Caroli.

p. 163. init. *tamen multis non ſatis perſvadet hoc*) qvi eum pro mago habuerunt.

ibid. circa med. *itaqve ego totum opus retexo*) Chronicon Carionis Philippicum.

ibid. in fin. *poſtqvam ita Rex a noſtro exceptus eſt*) Luther. contra Regem Angliæ.

p. 164. infr. med. *Nihil eſt imprudentius iſtis*) Marchionibus.

p. 166. med. *ut Cæſarem dehortetur frater a violentis conſiliis*) Ferdinandus propter metum Turcicum.

p. 168. circ. fin. *hoc mihi diſplicet, qvod falcigero verum eſt*,) h. e. qvia melancholica erit.

p. 173. circ. fin. *de verſiculo græco habeo tibi gratiam*) ᾠδεὶς κορήλης.

p. 175. circ. med. *egregium habent homines ἄθεοι prætextum hoc tempore*) ita nunc fit in regnis Cæſaris & in Polonia.

p. 180. med. *vides, qvam parum consilii aut animi habuerint qvidam*) Helvetii.

p. 181. circ. med. *De* Oecolampadii *morte scribit* Bucerus *nobis*) peste exstinctus est.

ib. infr. med. *evocavit ad hanc rem τὸν Περικλέα vicinum*) Bavarum.

ibid. *& habet qvendam alterum γεωργὸν hujus fundi*) Ducem Georgium.

p. 190. infr. med. *novimus enim totius illius gentis ingenia & voluntates erga nos*) Italorum.

p. 191. infr. init. *scripsi enim tibi de qvodam, qvare putem eum impedire istam pacificationem*) juniore nimirum Principe.

ibid. circ. med. *Et non solum Romani, sed etiam vicini nostri, malunt omnia deflagrare*) Dux Georgius & Marchio.

ibid. infr. med. *sed Gauricus affirmabat*, hanc veram esse, *si recte memini*) Ferdinandi.

p. 196. med. *Ego neminem lædendi animo, nemini obrectandi voluptate*) Philippi ingenuitas, qvæ ipsi sæpe fuit noxia.

p. 200. init. *σημαίνει τὸν Τημενίδην*) Landgravium.

ibid. circ. med *Bone Deus! qvales Tragœdias excitabit hæc qvæstio ad posteros*) Vaticinium Philippi nimis verum.

p. 205. init. *Sed nostras* literulas *negligit*) Philosophiam.

p. 206.

p. 206. init. *Novi nihil habemus, niſi* vicinorum terrores) Miſnenſium.

p. 209. infr. med. *Synodum promittit ὁ ἀρχιερεὺς*) Pontifex.

p. 211. circ. med. *Senatui urbis veſtræ reſpondi de illa ſua* Politia Eccleſiaſtica) qva aſſentitur aulæ Cæſareæ.

p. 213. circ. fin. *Noſti τὸν Ἀρμίνιον*) Landgravium.

p. 216. circ. med. *de negotio* Alarici) Würtenbergici.

ibid. med. Hippodamus *hanc occaſionem elabi ſibi*) Landgravius.

ibid. infr. med. *ſentio etiam aſperiorem fieri ἐκεῖνον*) Moguntinum.

p. 220. med. *περὶ τοῦ κατάγειν τὸν οὐιρτεβεργήσιον*) de reſtituendo Wurtebergenſi.

p. 221. infr. med. *ὁ Βρενώνιος magnifice promittebat*) Marchio.

ibid infr. med. *Noſter* Arceſilas *renovat certamen cum Eraſmo*) Lutherus, incenſus ab Amsdorfio.

p. 222. infr. med. *Etſi enim ſcribam, τὸν μακεδόνα aliqvid moliri*) Landgravium.

p. 223. med. *nusqvam eam pecuniam collocari melius in ullum poſſe, qvam in* Paulum) Eberum.

p. 224. med. *& de qvodam* latrunculo, *qui bellum indixit ditioni Saxonicæ*) Hanß Ballhaſen dicto, de qvo ſumtum eſt

ſupplicium Berolini, ubi anno 1540. cum duobus aliis rotæ eſt impoſitus.

p. 228. init. *neqve male ominari τῷ ὁμωνύμῳ*) Landgravio.

p. 231. med. Matthiam *ornavimus uſitatis ſcholæ titulis*) Garbitium Flacii popularem, qvem etiam erudiit.

p. 232. infr. med. *Macedo καὶ ὁ κερατοφόρος*) Wurtenbergicus.

p. 234. init. *qvam qvalia multa eduntur horologia, in qvibus*) Saperi.

p. 235. med. *Sed ago etiam, ὁ γὰρ ἄνευ κινδύνου περὶ μεγίστων ζητῶν πραγμάτων τοῖς φίλοις μὴ διαλεγόμενος ζυγχάνω*) qvia nimirum ad concordiam & ſententiam Buceri inclinabat, qvidam ſuccenſuerunt.

p. 236. circ. fin. *Sed aliud eſt, qvod literis committere neqve volo, neqve debeo*) Verebatur enim Elector Saxoniæ, ne Philippus alibi excitaret ſcholam, Vittenberga celebriorem, qvæ ita primatum ſuum amiſiſſet.

p. 238. init. *qvo me & Bucerum vocarat ἐ μακεδὼν, ut ego*) Landgrav.

ibid. infr. init. *Ipſius Principis Cattorum ſumma fuit erga me comitas, familiariſſime de multis rebus graviſſimis locutus eſt*) unde Philippi diſcipulus poſtea dictus fuit.

ibid.

ibid. med. *qvædam* περὶ τοῦ κερασφόρου *mihi non ignota*) de Wurtenbergico.

ibid. infr. med. *de* Simone *gaudeo, eum revocari*) Grynæo.

p. 240. init. *de* Anglia *fortasse istic multa*) Anglus qværebat nuptias.

ibid. infr. med. *ut sanentur ambigentes conscientiæ*, ut doctrina pure) de Cœna.

p. 241. med. *ita tumultuantur* ἡμεδαπὸς καὶ ὁ τῶν ἁλῶν δεσπότης) Elector & Moguntinus.

ibid. infr. med. *desidero* πρόνοιαν, οἱ ἄνευ παρασκευῆς) Theologi.

p. 244. med. περὶ δόγματος τινος angi te video) de Cœna.

p. 248. init. *augerent maxime* καὶ ὅτι τινὲς οὓς ἥκιστα ἐχρῆν) Lutherus, incensus abs Amsdorfio & Osiandro.

p. 248. circ. med. *commeatum negat, & ita respondet, ut vereri cogar*) Non esse utile hominem privatum cum tanto Rege pacisci de Republica.

ibid. infr. med. *Possum multa & mira commemorare, qvæ ego mea dissimulatione & patientia sanavi*) sæpe voluit migrare, & alibi constituere pium consensum in patria; sed retinuit eum amor Ecclesiæ & scholæ; & cum magnæ essent confusiones opinionum, redegit doctrinam in certum corpus, & horridas sententias de Cœna & ne-

cesſitate Stoica leniit. Propter qvæ ſalutaria conſilia plagas accepit usqve ad vitæ finem.

p. 250. infr. init. *ne ſuſpicarere, illum affinem eſſe iſti culpæ*) Intellexit enim Lutherus, qvis Philippus eſſet.

ibid. circ. finem) *ego nunc in meis Locis multa mitigavi*) Loci mitigati, qvod Lutherus ferre (non) potuit.

p. 251. infr. med. *qvod mihi interdum obſtrepit ἡ Φιλοσοφία ἡμετέρα μεμψίμοιρος*) Lutherus non fuit æqvus Philoſophiæ.

p. 252. in fin. *ecce* ipſi antevertunt, *neqve placant*) Lutherus irrupit in conclave Philippi cum abitum pararet.

p. 253. circ. init. *Scripſerunt ad me ambo*) ἡγεμόνες) Saxo & Landgravius fiunt ſupplices Philippo.

ibid. circ. med. *Gallicum ſcriptum* Doleti *vidi*) contra Eraſmum.

p. 255. infr. med. *Nuncius Pontificis nihil niſi meras nugas circumfert*) Vergerius.

p. 256. fin. *apud indoctos & inimicos literis noſtris*) Amsdorfium, Cordaſium & ſimiles.

p. 257. lin. 1. *de altera qvæſtione*) de Cœna.

ibid. med. *Fuerunt hic Anglorum & Gallorum legati*) tantum odio Caroli.

ibid. circ. fin. Mori *caſu afficior*) Thom. Mori, Angliæ Cancellarii,

p. 259. circ. med. Θαυμᾶς *noſter*) forte *Pontanus.* (Vide tamen ſupra ad p. 7.)

p. 265. med. *detinuit me exſpectatio congreſſus* Buceri *& noſtrorum*) qvi dixit: *propter Deum juva nos, ut honeſte diſcedamus.* Argentinam enim nolebat excludi à fœdere: ideo qværebat conciliationem hujus dogmatis.

p. 265. med. lege: & fabula qvam minime eſſet notoria.

ib. infr. med. *ne, ſi qvi vehementius diſſentiunt*) Amsdorff & Oſiand.

ibid. *poſterior Regina magis accuſata*) Anna Bolenia cujus frater Thom. Bolenius tulit contra eam capitalem ſententiam, coactus à Rege.

p. 269. circ. med. *de Academia fuerunt ſermones* Principis *honeſtiſſimi*) Wurtenbergici.

ibid. infr. med. *Princeps regaliter*) Wurtenbergicus.

p. 272. circ. fin. *ſed incidi in flammam contentionum*) de abſolutione privata.

p. 273. infr. med. *Filiæ meæ γαμήλιον dari curaſti*) ſponſæ Sabini.

p. 274. init. *ſparſæ ſunt epiſtolæ*) Cordaſii.

p. 275. infr. med. *ſe legiſſe literas à me ad* amicos *miſſas*) Campegium & alios Pontificios.

p. 280. circ. med. *indocti & vehementiores*) Amsdorfius, hoſtis Adiaphororuuu.

ib. p. 280. med. *nominatim petitum eſt, ne certamen*

tamen aliqvod augeret diſcordias, & fœderis diſtractionem afferret.) Qvæ igitur auctoritas Articulorum, ſi nulla facta eſt collatio doctrinæ?

ibid. lin. penult. *affirmans præſentiam Chriſti*) ſed non phyſicam copulationem corporis cum pane.

ibid. lin. ult. *Blarerus generalia ſic ſatis, adeſſe Chriſtum*) Non ergo Bucerus & ſocii revocarunt ſuam ſententiam.

p. 281. med. *Noſtra ſententia ſemper fuit, ne ſimpliciter recuſaretur Synodus*) Si Philippus fuiſſet auditus, avertiſſet bellum civile.

ibid. circ. fin. *periculum eſſe adeo ingentis motus*) unde & poſtea exortum eſt bellum Germanicum.

p. 282. *illud mihi acerbiſ. eſt videre hæſuram ad poſteros diſcordiam*) hæret & hærebit.

p. 284. circ. med. *certorum hominum timiditas*) Landgravius nolebat turbari fœdus.

p. 284. infr. med. *Qvamvis hoc modo rem ad arma maxime deduci aliqvi opinentur*) id qvod & poſtea eſt factum, ſed cum Ducum magno incommodo.

p. 285. fin. *Nuper Saxonica familia & Marchica & Cattorum Princeps renovarunt veteres σπονδὰς*) renovatio fœderis inter Saxonas Marchiones & Haſſos.

p. 286. infr. init. *Magno nobis uſui eſſe poſſes, ſi una eſſemus*) Vocatus eſt enim tunc Camera-

merarius Wittebergam, id qvod tamen Philippo non placuit.

p. 288. circ. fin. *mitto tibi Sadoleti ad me epistolam* bellisſime *ſcriptam*) potius *astutisſime*.

p. 290. med. Matthias *rogat etiam*) Garbitius, popularis Flacii.

p. 292. circ. med. *reſpondi timidius, cum illius* audaciam *confirmari nollem*) Princeps nunqvam amavit Philippum propter audaciora conſilia.

ibid. circ. fin. *Concionem κατ' ἐξοχὴν διδασκαλίαν Lutheri, qvam eo habuit*) Islebii.

ibid. *Ego plecterer, ſi hanc concionem ſcripſiſſem*) de encomiis operum.

p. 297. infr. med. *ſed* ille *fortaſſis putavit*) Sadoletus.

ibid. circ. fin. *unus fuit Romæ Capuanus Cardinalis Schoenebergius, pacis auctor*) Floruit apud Clementem, ſed poſtea concidit, & fuit aſtutisſimus Monachus.

p. 298. infr. init. *Sadoletus & Aleander*) item Caraffa, qvi poſtea in ſuo Papatu omnia ſcripta Eraſmi abjecit.

ibid. *is, qvi contra me incitarat noſtros*) Islebius.

ibid. circ. med. gener *me cruciat*) Sabinus.

p. 300. init. *Itaqve πρὸς αὐτὸν ἀπὸ ἡμεδαπῶν*) qvæ literæ omnes, ſeqvente anno, Carolo in Gallia a Mommorantio ſunt oſtenſæ. ibid.

ibid. infr. med. *Relinqvet enim imperfectam fabulam*) id qvod factum eſt.

ibid. *Vidi formulam fœderis, qvod Carolus Cæſar, Papa & Veneti contra Turcas fecerunt*) ſed non fuit confectum.

p. 300. lin. ult. *daturi operam, ut cum Turcis in gratiam redeant*) uti accidit, relictis illis Naupha & Malosſia.

p. 301. infr. init. *Eo ad Fœderatos noſtros venit Rex Daniæ Chriſtianus*) qvi, cum metueret Carolum, ſe fœderi adjunxit.

p. 304. l. 1. *qvæſtione veſtra reſponderunt*) de collatione graduum Academica.

ibid. infr. init. *πάνυ γὰρ τῶν νομικῶν τινες*) Schurfius.

ibid. infr. med. *mihi qvoqve hoc tempore ad reliqvas occupationes accesſit hujus ſemeſtris dictatura*) Rectoratus dictatura.

p. 307. lin. ult. *aula ſuſpicatur à qvodam* meo propinqvo *adjutum eſſe*) Sabino.

p. 312. med. *alter pertuliſſe mandata περὶ συνομοσίας plena ſceleris*) à Lycaone ad Moguntin.

ibid. infr. med. *τὴν ὠμότητα & δεινότητα*) Lycaonis.

p. 318. circ. fin. Dux *mortuus rem inauditam*) Georgius.

ibid. *ut excluſo fratre*) Henrico.

ibid. lin. ult. *traderet ditionem alienis*) Ferdinando.

p. 321.

p. 321. circ. med. *qvi nunc abduci ſe a nobis patitur*) Julius.

p. 322. circ. med. *Princeps autem Haſſiæ aegrotabat*) Philippus morbo Gallico.

ibid. circ. fin. *Carolovicius meo judicio*) Chriſtophorus.

p. 324. *ſua cauſa* Bernhardus Hebræus *hoc iter ſuſcipit*) Bernhard. Zieglerus.

p. 330. med. *dicitur petiturus Cæſar, ut ſecum privatim de religione agamus*) fuit Anglica aſtutia a Granvello excogitata.

p. 333. circ. fin. *ſumus enim deformati qvodam odioſo negotio*) Bigamia Landgravii.

p. 337. infr. med.) *Senſi κατὰ τὸν διδάσκαλον*) Lutherum.

ibid. *qvi niſi ad me veniſſet, mortuus eſſem*) Vinariæ.

p. 338. infr. med. *Matthæo Irenæo dices ſalutem*) alias, Friderico Franco.

p. 339. *Grandivillanum, cujus nunc*) Granvellanum.

p. 345. circ. init. *de adiaphoris non odioſe pugnandum eſſe*) perpetuum & pium conſilium Philippi.

p. 347. med. *totam rem tempore jam aliam factam eſſe*) Flacianorum argumentum.

p. 348. med. *Hæc improbitas atqve licentia aliqvando major erit & turbulentior*) vaticinium de Flacianis turbis.

p. 350. med. *fremere cæpit* L. Gellius) Granvellanus.

p. 351.

p. 351. med. τὸν βελγικὸν *contatorem aliqvid magni*) Carolum.

p. 352. lin. 1. *antea valde pugnavit* L. Gellius) Granvellanus, volens turbare conſenſum.

p. 356. med. *dextra mihi adeo duriter alliſa*) fuit luxatio cum fractura.

ibid. circ. fin. *curatio tarda eſt*) ſed non potuit fieri repoſitio, idcirco manus nunqvam recte curata fuit.

p. 359. init. *magis metuo* Aenidæ *moderationem*,) Forte Gropperi.

p. 360. l. ult. *fuiqve durior, qvam meus* παρασάτης) Bucerus forſan, qvod ſuæ civitati hac ratione conſulere voluit. Ubi contra Philippum has duas regulas conſtituit & defendit: 1) nihil habere rationem Sacramenti extra uſum. 2) Chriſtum adeſſe non propter panem, ſed propter hominem.

p. 361. l. 1. *Nec ſervit hac mollitie* τῷ μακεδόνι) Landgravio.

p. 362. med. *rejecturus in aliud tempus*) properabat enim in Africam.

p. 363. fin. *tuum judicium de* Gabriele) Biel.

p. 364. med. *de libro, qvem Imperator ſex viris excutiendum dedit*) liber Interimiſticus.

ibid. fin. *qvod tibi diſplicet de partiali agente:*) de voluntate συνέργῳ.

p. 365. l. penult. *ὁ τῶν βοΐων ἡγεμὼν* habet) Navarus.

p. 372. med. *propter quædam κενταυρικὰ negotia*) disſidium inter cognatos Principes.

p. 376. infr. init. *quod cum in vicinia & pene in conſpectu eſſet Turcicus exercitus*) volebat conſulere ſuis Hiſpanus, & prohibere, ne Gallus poſsit attrahere claſſem Turcicam.

p. 378. med. *alterum illum νομοφύλακα*) Cummorſtadium.

p. 379. in. *Vidi nos duos in celſa quadam arce*) qvod ſomnium poſt qvadriennium fuit completum.

ibid. med. *arbitratur ἀποδειχθήσεσθαι*) qva ipſa re eum evertiſſet, ſicuti decreto Spirenſi.

p. 380. fin. *qvod video multa eſſe τῶν Αἰρειδῶν ἐπίσπαστα κακά*) Ducum fœderis, qvi Cæſarem actionibus Geldrenſibus offendebant.

p. 381. init. *Fuchſii nuncius nondum rediit*) a Marchione.

p. 382. med. *rediit nuncius ille non plane inanis*] attulit enim pro libro ſtirpium Fuchſii ab Electore Marchione 100 Joachimicos.

p. 384. l. ult. *Et qvamqvam optimi ſenis & Ἀρχιερέως Vbiorum voluntatem probes*) Archiepiſcopi Hermanni Comitis Widani.

p. 385.

p. 385. init. *tamen insidias τῶν παρασαῶν*] Osiandri & similium.

p. 386. fin. *Sophistica principum & ignavia sunt exitio Reipubl.*) propter odium erga Lycaonem impediebatur bellum Ungaricum.

p. 388. init. *Etsi digni sunt reprehensione ὁ δεῖνα & ejus*) Lycaon, dux Henrici Brunsvicensis.

p. 389. med. *de inscriptione Cοτανικῦ amici nostri*) Fuchsii.

ibid. *natura satis bona & liberalis est ejus Principis*) Marchionis.

p. 390. med. *inferretur hosti acerrimo bellum*) Turcæ.

p. 392. init. *hic fons est hujus impii tumultus*) Fladenkrieg inter Electorem & Mauritium propter opidum Wurzen.

p. 392. fin. *mitto tibi epicedia amicorum*) Eobani, Grynæi & Capitonis.

p. 393. med. *qvia de qvibusdam rebus nos alloqvi decreverit*) Landgravius magis obtemperavit moderatis consiliis Philippi; Elector semper iniqvior fuit Philippo propter modestiam.

p. 395. *hanc epistolam dedi* Petro Medmanno) qvi postea se Embdam contulit, ibiqve diem obiit.

p. 396, med. *Brevi audio una futuros esse Duces Saxoniæ*) ad componendum dissidium.

p. 398.

p. 398. med. *mea conjux profecta eſt ad filiam*) Annam, Francofurti in Marchia.

p. 399. init. *Etſi is, qui fertur tot & tam triſtium incendiorum auctor eſſe*) Non fuit convictus.

p. 400. med. *tuæ vero patriæ* Cypſelus) Epiſcopus Bambergenſis.

p. 402. med. *quorundam, quibus voluptati eſt*) Myſorum Ducis - - - veterum amicorum.

ibid. circ. fin. *τὸν ῥοῖβδ Πηβάτην*] Lycaonem.

ibid. *latere profugum apud generum*) Joannem Marchionem.

p. 403. infr. init. *me in eo pluſculum Socraticæ philoſophiæ deſiderare*) imo pietatis.

p. 404. infr. med. *video lætari vulgus pulſo illo*) Lycaone, & capta arce Wolfenbüttel.

p. 405. init. *ὁ Τυδεὺς diſſuaſor eſt*) Elector.

p. 414 init. *Sæpe eſt monitus adoleſcens*) Dux Juliacenſis.

ibid. circ. med. *Sed nimis amat Φιλύρην* veſtram] Lipſiam.

p. 415. init. *novi Sophiſtæ*] Flaciani.

ibid. infr. med. *περὶ ῥήσδ ςρατηγήσαντ@· ἐν Παιωνίᾳ*] Marchionis.

ibid. *quidam, ut narrant, ſuo more egit*) Pet. Pocinus.

p. 420. init. *talis fuit οἰνοχόδ@·*] Jacobus Schenck.

ibid. *nam hunc qvoqve mutaſſe videtur ὁ ἀρίζων περὶ ἐνδελεχείας*] Amerbachius.

p. 421. init. *audieram fere tertia vigilia noctis qvosdam ebrios Phryſios tumultuari ante Collegium*] anno 1555. habuit Philippus periculoſius prælium cum qvodam Polono.

ibid. *Carolum affirmabat vivere, ſed phthiſi contabeſcere*] contabuit tandem ex lue Gallica cum arthritide, qvæ deſiit tandem in phrenitidem.

p. 422. circa fin. *de hac una re diſputandum illi tuo amico*] Julio.

p. 426. fin. *Sed Comes Svarceburgius aiebat brevi affuturum eſſe*] ſicuti etiam venit.

p. 427. med. *Iudicat igitur Senex Princeps*] Colonienſis Hermannus.

ibid. *& intexui qvædam*] Colonienſe ſcriptum.

ibid. fin. *Mittit tibi D. Bucerus has epiſtolas Regum*] Invectivas Galli & Cæſaris.

p. 428. med. *qvi qvia jam deſunt Germaniæ, noſtrum ordinem tamen adhuc qvidem*] Jam uterqve ordo contabuit.

p. 429. med. *verum Eccleſiæ cauſa & Senex noſter afficitur*] Archiepiſcopus Hermannus.

p. 433. med. *Epiſcopus Senex*] Hermannus Archiep. Colon. Comes Widenſis.

ibid. fin. *Et has controverſias pene ut artifex dijudicat*] Non obſtante, qvod Carolus

lus de eo dixit : qvid intelligit? non callet Latinam linguam, & in tota vita duas miſſas habuit.

p. 435. init. *diligo profecto hominem, & ſpero fortunam ei fore æqviorem* [ſed malam ibi gratiam retulit, cum factus ſit os Flacianum.

p. 438. init. *Eſt hic qvispiam Frid. Staphylus natus in Livonia*] Staphylus Hermaphrodita apoſtata factus, & ad omia ſcelera aptus.

p. 442. init. *amiſi filiam multo ante*] Annam nuptam Sabino.

p. 443. init. *Etſi intelligo, meis interdum te rationibus adverſari*] Camerarius patrocinatus fuit Sabino.

ibid med. *alia ſunt, qvibus afficior*] tyrannis ſævior in regione longinqva.

p. 444. med. *qvam noſter* Pericles] Lutherus.

p. 445. med. *Habet in Virgine conjunctos Saturnum & Martem*) Sabini geneſis.

p. 447. in. *mihi dolorem afferre has aſperas conciones*] Lutheri in C.C.

ibid. init. *& iracundiæ ſervire putatur*] Lutherus ſæpe ſerviebat ſuæ iracundiæ.

p. 448. med. *Non enim metuo Cenſoris noſtri σκώμμα*] Amerbachii.

p. 449. in. *tua reſponſione valde delectatus eſt Lutherus*] adverſus Epicureum Italum.

p. 452. med. *& hunc ſcriptorem* Antiſtes δρυοπολί]ης *non compeſcit fuſtibus ?*] Eichſtadenſis.

p. 455. l. 1. *Meminiſti noſtri theatri indicia*] Cordaſi & Amsdorfiii.

ibid. init. *Noſter* γεφυραῖος *joco fortaſſe*] Pontanus.

ibid. *ambire me galerum* τῶν ἐυπαρύφων ἀρχιερέων] Cardinalium.

ibid. med. *Idem dixi ante annos* octo] an. 36.

ibid. *mecum & cum* σαυροφόρῳ *expoſtulanti*) de Cœna.

p. 457. l. 1. *quo die adveni, hic noſter*] Lutherus.

ibid. med. *ne te in hanc Rempubl. attraherem*] metuit Philippus, Camerarium non poſſe ſervire ſub Luthero.

ibid. med. *etſi doleo, longius à me filiam*] AnnamSabiniam.

p. 460. fin. *ex conventu, ut occurrat Gallis*] turpiſſimum fuit erratum, qvod Principes in hoc conventu plane alienarunt à ſe Gallum.

p. 462. init. *ſed hortante alio qvodam, ſe petiiſſe*] Islebio.

p. 463. fin. *Sed novam criminationem conjugis à ripa Rheni miſit*] Sabinus Spiræ vult repudiare Philippi filiam.

p. 466. init. *qvod idem mihi* ὁ ἰξίων *objecit*] Sabinus.

p. 469.

